FRANCOFORDIENSE EMPORIVM,

SIVE

FRANCOFORDIENSES NVNDINAE.

Quàm varia mercium genera in hoc emporio proſtent, pagina ſeptima indicabit.

HENR. STEPHANVS de his ſuis nundinis.

Impiger extremis merces non ſumis ab Indis,
Sed piger haſce potes lector habere domi.



ANNO M. D. LXXIIII,
Excudebat Henricus Stephanus.

10.

ORNATISS. ET SPEctatissimis Consulibus, Senatuíque inclytæ vrbis Francofordiæ,

HENR. STEPHANVS S. D.

DIV me suspẽsum, viri amplissimi, contrariæ de dicandis hisce nundinis cogitationes tenuerunt: quũ neque dicandas vobis esse putarem, neque cui potius eas dicare possem, viderem. Nam nisi vobis eas dicarẽ, vestro iure vos fraudare, & modonõ de possessione auita vos deturbare mihi videbar: at vobis nundinarum Francofordiensiũ encomium dicare volenti, in mẽtem veniebat, laudare in os, putidum esse, & neque apud verecũdos id fieri debere, nec ab homine satis verecundo fieri posse. Quod enim AEschino, qui à pudore nomẽ habet, apud Latinum comicum dicitur, Vereor coram in os te laudare:

id omnibus qui ingenuo præditi sũt pudore,dicendum eſt. Iam verò non veſtræ verecundiæ tantùm ſed meo etiam honori conſulendum eſſe exiſtimabam. At illi malè me conſulturum, atque omnino futurum arbitrabar vt in aſſentationis ſuſpicioné inciderẽ, ſi dicatione eiuſmodi voſmetipſos nõ ſolùm teſtes veſtrarum laudum, ſed etiam velut arbitros cõſtituere velle viderer. Verùm hos tandem metus rationes variæ ſuperarũt. Primùm enim, illud encomium, minimam duntaxat eſſe harum nundinarum partem: deinde, multos huius encomii vobiſcum eſſe participes, quibus aſſentari me velle, nemo ſibi perſuadeat: poſtremò, non eos à me laudari qui ſint ignoti, ſed qui velut in oculis totius Europæ verſentur: atque hoc nomine multo minus ſuſpectam eſſe debere meam laudationem, cogitaui. Hoc quoque non pa-

rũ me confirmauit, quòd me & à vobis & ab amicis ac familiaribus aſſẽtationis crimine (ſi fortè id mihi obiiceretur) ſtatim liberatum iri ſciebã. A vobis, quòd nullam mihi vobiſcũ amicitiam, nullã neceſsitudinem intercedere, ac ne notos quidem priuatim mihi vos eſſe ſciatis: ab amicis & familiaribus, quòd ii, quũ ingenium meum perſpectũ & exploratum habeant, me ab adulatione tã abhorrere quàm qui maximè, teſtari poſsint.

Sed quid ego partes alienas in hac defenſione ſeu excuſatione ſuſcipio? Ipſæ ſe defendant, ipſæ ſe excuſent Nundinæ. Nam ſine vobis laudari ſe à me paſſæ nõ ſunt: quũ etiã ſuas laudes vobis, nec ſuas laudes tãtummodo, ſed vitã ipſam, non ſecus ac filias parentibus, debere ſe dicerent. Modũ tamẽ in hac veſtri laudatione me tenere voluerunt: quòd Euripides verè dixiſſet, laudes immodicas iis qui lau

darẽtur graues eſſe & oneroſas: dixiſſet etiam, probos viros odio quodam proſequi eos à quibus nimiis laudibus afficerẽtur. Quòd ſi & conſilium illarum detegere mihi licet, hanc veſtri laudationem non tantùm apud vos ſed apud alios quoq; ſibi profuturã, & ita ſe bina ex hac commoda percepturas ſperarũt. Duo enim ſibi perſuaſerunt: nimirũ fore vt hæc laudatio aliam quampiam eiuſdem regionis vrbem ad æmulationẽ incendat: fore etiam vt breui Ouidianum illud in vobis comprobari poſsit,

-laudatáque virtus Creſcit, & immẽſum gloria calcar habet. Quòd ſi eas illa ſpe fruſtrari contingat, at ne hæc etiam eas fallat, ego quoque vos illarũ nomine ſupplex rogabo: & vobis ad hanc rem, ſicut & ad alias omnes, Dei optimi maximi opem & fauorem votis omnibus expoſcam.

Ex typographeio noſtro, Anno M. D. LXXIIII. PRID. CAL. MART.

NOMINA MERCIVM QVAE in his Francofordiensibus nundinis prostant.

MERCES LATINAE.

FRANCOFORDIENSIVM nundinarum, siue Francofordiensis emporij encomium: autore Henr. Stephano.

LAVDATIO equi præstantissimi in Francofordiensi emporio empti: eodẽ autore.

VITVPERATIO equi deterrimi in Zurtzacensi emporio empti: eodem autore.

LAVDATIO Bacchara ab eodẽ scripta, quum Francofordia Coloniam petens, eò nauigasset.

COENA Posthiana, siue Kylicodipsia, eodem autore.

METHYSOMISIA eiusdem, siue Epigrammata subsidiaria ad Posthimelissæũ bellum. id est, ad libellum cui titulus est, Collegij Posthimelissæi votum: quo bellũ ebrietati & ebriosis infertur: excusum nuper Francofordiæ.

ALIAE MERCES GRAECAE PARITER ET LATINAE.

EPIGRAMMATA ex Anthologiæ libro, contra ebrietatem & ebriosos, Græcè, cũ Latina Iosephi Scaligeri interpretatione.

ΛΙΒΑΝΙΟΥ ἔκφρασις μέθης.

LIBANII Descriptio ebrietatis.

ἘΚ ΤΩ͂Ν ΤΟΥ͂ ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ, ἄλλη ἔκφρασις μέθης, καὶ πάντων τῶν συμπαρακολουθούντων τῇ μέθῃ καὶ τοῖς μεθύουσι κακῶν.

EX BASILIO Descriptio alia ebrietatis, atque omnium malorum quæ ebrietatem & ebriosos comitantur.

ΤΗ͂Σ ΛΟΥΚΙΑΝΙΚΗ͂Σ Ἀκαδημίας λόγοι δύο, ὁ μὲν, ὑπὲρ τῆς μέθης, ὁ δὲ, κατὰ τῆς μέθης.

LVCIANICAE Academiæ orationes duæ: vna, pro ebrietate, altera contra ebrietatem.

EBRIOSI hominis habitus, suis coloribus depictus à Lycone, oratore Græco.

EBRIETATIS Accusatio, ex Seneca, Epist. prima lib XII.

ALIA EBRIETATIS Accusatio, ex Plinio, Histor. nat. lib. XIIII. cap. XXII.

NVNDINARVM FRANCOFORDIENSIVM SEV Francofordienſis emporii ENCOMIVM,

Ab Henrico Stephano ſcriptum.

MVLTI rerum multarum encomia magis oſtẽtatione quadam ingenii, quàm quòd ſe publicè vel priuatim profuturos, aut gratiam magnam inituros ſperarent, nõ tantùm ſuperioribus ſeculis, ſed noſtra quoque & auorum noſtrorũ memoria ſcripſerunt. Quemadmodum enim olim Phauorinus, qui Therſitæ, necnon febris quartanæ, Glauco, qui iniuſtitiæ, Polycrates & Iſocrates, qui Buſiridis: ac longo interuallo, Syneſius, qui caluitii, Lucianus, qui vitæ paraſiticę & muſcæ, Libanius, qui bouis, laudatores extiterũt: ita noſtro ſeculo, Deſid. Eraſmus, qui ſtultitiæ, Cælius Calcagninus, qui pulicis, Gulielmus Inſulanus, qui (Phauorini exemplo) febris quartanæ, quidam, qui barbæ, alii qui aliarum rerum laudes, ceu paradoxa quædam, literis mandauerunt: magis

profectò ingenii sui suæq; eloquentiæ quàm eorum quæ laudanda susceperant, laudatores esse voluerunt. Suum enim laborem esse in tenui (vt Latini poetæ verbis vtar) sed tenuem non fore gloriam cogitabant, si agrũ qui sterilis esse videbatur, noua colendi solertia frugiferũ reddidissent. At mihi, Frãcofordiensium nundinarum encomium hac oratione cõplecti aggredienti, non tam sperandam esse eloquentiæ laudem, quàm, ne infantiam meam prodam, metuendum esse non ignoro. Quum enim non itidem in tenui & angusto versetur hic labor, sed contrà latissimus ad laudes illarum pateat campus, non materies huic orationi defuisse dicetur, sed potius eius amplitudine superatus & velut obrutus esse, ac mihimet ipse defuisse dicar. Sed hũc mihi metum alius quidam maior excutit. Quis ille est? Ne mihi posthac aliquid pollicenti fides derogetur, si meam de hac scriptione fidem non liberaro. Contigit enim mihi aliquãdo vt in elegantium quorundam hominum cœtu mirum mihi videri dicerem, quòd, quum varii hoc nostro seculo res varias encomii honore prosequuti sint, Frãcofordiẽse emporium eodem modo honoratũ à nemine ad hunc vsque diem fuerit: atque adderem, hoc eo magis me mi-

rari, quo apud me magis considerarem, tale esse vt ab omnibus propemodum mortalibus cognoscatur, à plurimis frequentetur, multi ex eo multa magnáque cõmoda consequantur: plerique ex eo ditiores, non pauci è pauperibus diuites reddantur. Contigit, inquam, vt hoc quoque adderem, externam laudationem plus fidei quàm domesticam esse impetraturam. Illi ad hunc sermonem aures arrigere, animúmq; attendere: se quoque idem miratos esse dicere: cõmoda quæ capi ex ea possent, proponere: eóque tãdem venire vt me ad tractandum hoc argumentum quibuscũque possent modis incitarent atque accenderent. Tum ego: Quum mihi persuadere non possim, defuisse quibus hoc argumentum in mentem venerit, multo etiam minus, defuisse omnibus qui de eo cogitarint, eloquentiam: ideóque relinquatur vt eius magnitudine atque amplitudine deterritos fuisse existimem: quid? mén' eloquẽtiæ aut facundię viribus fretum, támque argumenti huius magnitudine maiorem & superiorem fore confisum, ad ipsum tractandum accessurum putatis? Absit à me, absit tam crassa támque stolida confidentia. Ne leuis quidem certè tantæ confidentiæ atque arrogantiæ suspicio, imò ne vmbra quidem

(vt ita dicam) huius ſuſpicionis in eum cadere hominẽ vel debet vel poteſt, qui ſe intus & in cute nouerit, ſuóque ſe modulo metiri didicerit. Sed quũ illi his auditis, rationibus aliis aggreſſi me eſſent, diúq; oppugnaſſent, tandem etiam expugnarunt, & manus ſibi dare coegerunt. Duo verò potiſſimum fuiſſe recordor quæ tũ temporis menti meæ obuerſata, non parum momenti ad me impellendum habuerunt. Vnum erat, ingens quo tenebar, gratum teſtandi animum deſiderium: alterum, quòd fore ſperarem vt, ſiquid inchoaſſem, ei multi manum extremã imponerent, ſimúlque, quod edolaſſem expolirent. Equidem etiam nunc, ſi non huius at illius ſaltem conſequendi magna me ſpe teneri profiteor. Nam ſi verè cecinit Naſo,

Sed qui quàm potuit dat maxima, gratus abundè eſt, erit cur ſatis locuples grati animi teſtimonium Francofordienſi Reipub. non meo tantùm ſed aliorum quoque nomine, quibus in eam propenſa itidẽ voluntas erit, dediſſe hac ſcriptione exiſtimer. Illud item eiuſdem poetæ ſi verum eſt,

Vt deſint vires, tamẽ eſt laudãda volũtas, non tam, quòd aſſequi quæ optabam non potuerim, reprehendendus, quàm quòd aſſequi optauerim & conatus ſim, laudandus

fuero. Præfertim verò quum quis magnum opus & arduum conatur, dicta illa locũ habere apud iudices non omnino iniquos debent. Alius enim eiufdẽ ordinis poeta quanuis canat,

Turpe eft, quod nequeas capiti committere pondus,
Et preffum inflexo mox dare terga genu:

alibi tamen fatetur & ipfe,

Quòd fi deficiant vires, audacia certè
Laus erit. in magnis & voluiffe fat eft.

Magnum fiquidem vel potius maximũ hoc argumentum vocare poffum, vtpote cuius fines adeo latè extendantur, vt, quanuis non omnia mihi in mentem venire poffunt quæ ad ipfum pertinent, fed iis fortaffe quæ dixero, plura dicenda fupererũt, tamen ne de iis quidem quæ mihi occurrunt, rationem inire, & vnde potiffimum initium fumendum fit, conftitutum habere poffim. Sed quoniã lectorem mea ifta hæfitatione interim remorari nolo, hoc confuetudini dabo, vt ab ipfa nundinarum fiue emporii fede, id eft ab ipfa vrbe, aufpicer: (fiue Francofordiam aut Francofordium, fiue Francofortũ vel Francofurtum appellare quis velit, fiue etiam vocalem fecundam his nominibus detrahere malit) de ea tamen ita verba facturus, vt in-

terim non eius, ſed nundinarum quæ in eâ celebrantur, encomium me ſcribere, minimè oblitum eſſe oſtendam. Non ſolùm enim decorum non ſeruarem, ſed etiam audaciam audaciæ, onus oneri, periculum periculo adderem, ſi plenam illius oppidi laudationem ei quam ſuſcepi adiũgere vellem.

PRIMVM igitur in eo Germaniæ loco ſitam eſſe dico vrbem illam, quo nullus cõmodior optari queat, ſi eorum quibus vndique in eam commeandum eſt, ratio habeatur. Etenim ſi perpendamus quibus interuallis diſtet à quibuſdam remotioribus oppidis, vnde ad ſe tempore nundinarum tantam hominum multitudinem accire ſolet, eam veluti centrum in medio poſitam eſſe comperiemus: adeò vt quiſquis eam ibi cõdidit, (Francum enim Marcomiri regis filium, huius vrbis non cõditorem ſed inſtauratorem fuiſſe, & de eius nomine pro Helenopoli Francofordiam, Germanicè Frãkcfort, vocatam eſſe, quidam memoriæ prodiderunt) ei animus aliquid de futuris ibi nundinis præſagiſſe videri poſſit: & ſaltem nemo ſit qui diuina prouidentia ad eas præparatam illa vrbẽ, laudémq; hãc deſponſam & deſtinatam ei fuiſſe, negare auſit. Si verò nõ ſolùm quaſi in agro ſed etiam in qua eius

parte sita sit, consideremus, vix alibi melius iis quæ ad vitam necessariæ non incolis tantùm sed etiam aduenis forent, instrui potuisse fatebimur. Præsertim verò Mœnum fluuium, eadem illa diuina prouidẽtia, cursum quo ipsam allueret, tenuisse, persuasum nobis esse debet. Eo certè fluuio tantam hominum, tãtam mercium multitudinem aduehi in eam videmus, vt ambiguum sit, hoc an illo nomine plus illi debeatur. Atque is quanuis ex eorum sit numero qui & rapidè feruntur, & magnum trahunt agmen aquarum (vt poeticè loquar) interim tam bona fide vehit quæ sibi credita sunt nauigia, vt hac laude certare cum alio quolibet, simúlq; nundinis ipsis fauere dici possit. Quid quòd iis quæ ex se præbet commodis non cõtentus, eũdem Rheni in quem influit, fauorem nundinis conciliat? In quo perinde facit acsi quis amico suo hominis alicuius multo potentioris amicitiam & fauorem conciliaret. Vix enim dici potest quantam merciũ vim ex Rheno acceptam, in vrbem suam, id est in vrbis suæ nundinas importet, quantámque illi vicissim exportãdam tradat. Interim verò in iis etiam quæ ad victum suppeditare debet, tantum abest vt officio suo desit, vt quũ inter piscosos non postremum locum

teneat, tamen & ex piscibus Rhenensibus, iis quoque qui è mari Rhenum ipsum innatant, aliquos vnà cum suis largiatur. Verùm hoc ciborum genus, veluti auctarium duntaxat adiungit ad varium commeatum quem à Rheno sibi traditum in vrbem tempore nundinarum potissimū conuehit. Perinde enim acsi de fide agri Francofordiensis, alioqui fertilis, dubitaret, ita suis nundinis omnia quæ ad victum necessaria sunt prouidet, vt nihil in illis desiderari possit. Præcipua verò eius hac in re perspicitur benignitas, quòd cum aliis multis vinorum generibus, tum verò Rhenensi suarum nundinarū mensas exhilarat. Neque tamen spes omnis commeatus in his fluminibus posita est, sed terra quoque variis è locis aduehitur: tantus certè vt illa nundinarum tempus expectasse, & quoddam cornu copiæ eis reseruasse videantur: quum alioqui, prouida magistratuum cura, multo etiam ante omnibus instructa esse ciuitas soleat. Hinc fit vt quum nundinæ bis quotannis hominum in vrbe frequentiam multis partibus augeant, annonæ tamen pretium non admodum augeatur: minus quidē certè quàm augeri plerisque in oppidis contingit, si tantùm princeps quispiam cum suo comitatu, etiā non

valde numeroſo, eò adueniat. Nunc me roget aliquis fortaſſe an tot qui in vrbem illam eo tempore confluunt peregrini, hoſpitari quoque commodè in ea poſſint. Is igitur, quicunque ſit, ſic habeat: tam bene omnes propemodum habitare, vt non mirum ſit futurum ſiqui ſe hoſpites eſſe obliuiſcantur, potiúſque paternas quàm conductitias domos incolere ſibi videantur: quum aliæ cõtrà in plerìſque locis nundinæ magnam habitationis incommoditatem ad cæteras adiunctam habeant. Quid verò (vt à ciuitate ad incolas veniã) de ciuium præſertímque magiſtratuum in peregrinos comitate dicam? Equidem quum alii multi ius hoſpitii peregrinis nonniſi grauatè concedant, & alicubi non ſit hoſpes ab hoſpite tutus, illi contrà non hoſpites tantùm ſed hoſpitales ſe præbere didicerunt. Quamobrem ſicui peregrino (etiamſi omni amicorum præſidio deſtitutus ſit) aliqua cum ciue controuerſia oriatur, ob quam iudicis auxilium implorare neceſſe ſit, minimè timendum eſt ne vel ſui minor quàm illius ratio habeatur, & non æqua lance ius ponderetur, vel tot procraſtinationibus atque comperendinationibus negotium prorogetur, vt re infecta domum redire oporteat. Contrà enim tanta ibi peregri-

norum mercatorum ratio habetur in iudicio (nundinarum maximè tempore) vt ne ipſorum quidem vrbis pupillorum, ne ipſarū quidem viduarū haberi maior poſſit.adeo vt nihil libertatis,nihil autoritatis adimat peregrinitas,vt in aliis pleriſque locis: quinimo prærogatiua quadã frui(præſertim quod ad impetrandam breuem controuerſiæ diiudicationem attinet)atque ita fructuoſa potius quàm damnoſa dici queat. Nimirum cum Platone prudenter conſideraſſe videntur quicunque primi conſuetudinem iſtam introduxerũt, ideo maiorẽ peregrini quàm incolæ habendam eſſe rationem, quòd ille deſertus ad iuſtitiæ ſinum & gremium confugere cogatur: à quo ſiquis illum abſtrahere velit,perinde fuerit acſi ſupplicem ab ara ſacrilegis manibus auellere conetur. Hoc ſenſiſſe iam olim & poetam Heſiodum crediderim,quum iniuriam peregrino factam cũ iniuria ſupplici facta comparauit: quum tamen hanc omnium longè eſſe atrociſſimã, vt quæ ipſa deorum ſacraria quodammodo temeraret, antiquitas perſuaſum habuerit. Quamobrem non immeritò Iſocrates regi Nicocli hoc inter alia dat ſiue conſilium ſiue præceptum, vt peregrini tutò in eius vrbe verſari poſſint, nullámque in iis quæ con-

traxerint,iniuriam illis fieri patiatur. Quo autem rarior est hoc seculo illa Francofordiensis in peregrinos humanitas atque comitas, eo certè & admirabilior est & laudabilior. Ac videmus quidem priscis quoque temporibus multa misoxeniæ (id est, odii in peregrinos) exempla extitisse: quum etiam expellere peregrinos ciuitates aliquæ non dubitarint: sed philoxeniæ vicissim, id est amoris in illos, exempla non defuisse, ex historiarum monumentis discimus. Vel illa profectò quæ Lacedæmonis & vicina & æmula erat ciuitas, sua philoxenia misoxeniam illius si non superasse at certè adæquauisse & quasi pensauisse dici potest: quæ veluti quoddam literarum emporium toti propemodum orbi commune fuisse videtur: atque illud Nasonis dictum comprobasse,

Scilicet ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.

At de Celtis, maioribus nostris, qui illarum artium ingenuarum planè rudes, suam tamen olim in peregrinos humanitatem exercebant, quid dicemus? Quis, non Athenas solùm, sed aliam quanuis vrbem, alium quemlibet populum ea laude ab illis superatum fuisse credat? Id tamen nobis

vel vna lex quam illi sciuerant, abundè testatur: ea nimirum qua ciuis interfectorem exilio tantùm mulctabant, eum qui peregrini cædem perpetrasset, capite plectebant. Atque id narrantibus historicis ne fidem derogemus, facit quod ipsa experientia in nostra regione multos peregrinos quotidie docet: sed multo magis quod ante aliquot annos docuit, antequam Mars eam crebris intestinorum bellorum procellis velut de gradu deiecisset, atque ita perturbasset vt penè sui obliuisci cogeret. Quòd si multos ex profanis tanta humanitate peregrinos prosequi solitos legimus, pro ea quam suo Ioui xenio (id est, peregrinis iura danti) præstabant reuerentia, quid illis Christianis fiet qui non aliter se in peregrinos gerunt quàm si insitũ & innatũ sibi in peregrinos esset odium? & se in ordinem redigi ac magnam etiam sibi fieri iniuriam interpretãtur, si peregrinis eodem iure vti, idem solis iubar secum intueri, easdem auras vitales secum carpere, concedatur? nedum illos idem commercii ius obtinere patiantur. Profectò si barbarum est, hominem odisse, quem noueris, sed à quo nulla iniuria fueris affectus: plus quàm barbarum fuerit, eũ quem ne noueris quidem, odio prosequi. Verùm vt ad Francofordien-

ſem in peregrinos philoxeniam reuertar, ne de hoc quidem ibi conqueri peregrini mercatores poſſunt, de quo paſſim multæ magnǽque eorũ querimoniæ audiuntur: quòd ærarium merces quas important ita ſibi tributarias eſſe cogat, vt hinc creſcẽte nimium earum pretio, tantundem ſibi de ſuo lucro minuatur. Nam hac etiam in re ita cum illis agitur, vt ſi ipſimet legem ſibi impoſituri ſint, vix aliam cui libentius acquieſcant, imponere poſſint. Multo verò minus eſt quòd querantur ſibi in dies aliquid noui circa vectigalia oneris imponi, vlláſve ſibi nouas exercendi commercii conditiones proponi. Non tamen cõtenta ſe erga illos hac in parte ita gerere, paterna quadam cura & vigilãtia per ſuos magiſtratus in hoc quoque incumbit nequo pacto ipſa etiã inter eos tranquillitas & quies interturbetur, atq; vt non minus ſecurè quàm & in ſua patria & apud ſuos penates ſinguli viuãt. Hinc fit vt quum tot conueniant eò peregrini, *quàm varÿ linguis, habitu tam veſtis & oris* (vt poetæ verſu paulum immutato vtar) & ſicut ex valde diuerſis regionibus oriundi, ita etiam moribus & ſtudiis multum inter ſe diſcrepantes, rarò vllæ inter eos rixæ, rarò vlli tumultus in ipſius vrbis plateis oriãtur: quum

alibi hoc ſit nundinarum veluti fatum, vt omnia vrbis compita, omnes propemodum viæ, non tumultu ſolùm ſed pugnis acerrimis perſtrepant.

IAM VERO vt ab iis quæ duntaxat ad nundinarũ commoditatem pertinent, ideoque externa bona céleri poſſunt, ad ea tranſeam quæ ipſarum nundinarũ propria ſunt, & ad earum laudem propriè ſpectant, primùm quod mercium genus in illis deſiderari quis dicet? Emporia cætera, aliis alia mercibus nobilitantur: (ſicut olim & regionibus & ipſis etiam Græciæ vrbibus, alias aliis peculiares fuiſſe Antiphanes & Hermippus nobis teſtantur) at huius merces ſi recenſere velis, neſcias vnde ſumendum tibi ſit initium: víxque vllum mercimonii genus venire tibi in mentem poſſit, quod ibi ſtatim in promptu, ſtatim ad manum futurum non ſit. Atque adeò, ſi mihi hîc quoque parodica immutatione ludere licet,

Tot tibi noſtra dabit pulchras Francfordia merces,
Hæc habet vt dicas quicquid in orbe fuit.
Gargara quot ſegetes, quot habet Methymna racemos,
AEquore quot piſces, fronde teguntur aues.

Quot cælum ſtellas, tot habet Francſordia
merces:
Mercuriúſque ſuo proſtat in emporio.
Seu caperis noſtram peregrè aduenientibus
vrbem,
Ante oculos veniet merx numeroſa tuos:
Siue petis merces patrias, tibi mille place-
Cogeris voti neſcius eſſe tui. (bunt:

Quamobrem quū tanta támque varia ſit huius emporii opulētia, vt cætera omnia in ſe quodammodo complectatur, & ex eo tāquam riui ex fonte deriuari videantur, quēadmodum Roma compendium orbis appellata olim à quodam fuit, ſic mihi rectè loquuturus videor, ſi Francofordienſe emporium, omnium totius orbis emporiorū (abſit verbo inuidia) compendium vocandum eſſe dixero. Comparat ſe ad bellum gerendum princeps quiſpiam? comperiet Francofordienſe emporium veriſſimam eſſe belli (vt de Epheſo dictum à Xenophonte fuit) aut etiam Martis, ſi ita malit appellare, officinam. Ibi equos, ibi armorum varia genera, ibi alia bellica inſtrumenta inueniet: & quidem tantum ſingulorum numerum, vt tempus quod alibi in quærendo poſuiſſet, hîc in eligendo poſiturus ſit. Quòd ſi commeatum ſimul prouidere velit,

longius abeundum non erit, vt aliquam saltem eius partem nãciscatur. Siquidẽ, præter eã cuius memini vinorũ abundantiã, pręstò est tãta succidiarum VVesphalicarum (quæ falsò Moguntinenses à nostratibus appellã-tur) copia, vt, si alii cibi desint, iusto exercitui per aliquot mẽses alẽdo satis esse possint. Verùm vt redeam ad illud quod præcipuum in iis quę enumeraui locum tenet, nimirum ad equos: quis tantã illorũ multitudinẽ ibi cõspicatus, qui vel in spatiosissimo hippodromo exercentur, vel circũquaque stabulãtur, nõ arbitretur, quotquot alebat Germania (vt de Vngaricis, Dacicis, Polonicis, Danicis, & quibusdã aliis taceã) omnes ad vnũ eò esse adductos, & totius regionis pabula ad eos alendos requiri existimet? Imò verò siquis eos dũtaxat numeret qui vno die ex vrbe educũtur, & postridie reuertens, hippodromũ non minus quàm antea equis refertũ inueniat, quid aliud cogitet, quàm talem esse ibi equorum segetem qualis erat quondam illa seges clypeata virorum, qui ex dentium satione statim proueniebant? Quòd si quis alibi equos præstantiores illis reperiri dicat, ea ego lege hoc ipsi cõcedam, vt vicissim plurimos multo illis deteriores alibi esse fateatur. Atque adeo illos ipsos qui omnium maximè ad bel-

ad bellum expetuntur, quíque in pretio & quodammodo etiam in deliciis principibus ob maiorem quandam docilitatem esse solent (quæ certè mercatoribus alio quàm illis modo pretiosa est) laborum tolerantia superari à multis quos hæ nũdinæ dederint, quotidiana experiẽtia clamat. Verùm vt equos, vt arma, & reliqua simul omnia quæ ad bellum pertinent, omittam, (etsi non bello dũtaxat verumetiam paci necessaria est equorum opera) & ad cætera transeã quæ ibi sunt venalia: siquis vrbem quampiam omni earum mercium genere quæ pacis temporibus sunt accommodatæ, instructissimam reddere velit, non solùm quascunque requisierit, sed plerasque etiam de quibus ne cogitauerit quidem, & de quibus nec ipse nec alii multi quicquam fando audierint, ibi expositas videbit: ídque cum tanta in vnoquoque genere copia, vt nõ è multis ciuitatibus, sed ex orbis vniuersi regionibus coactas cõgregatásque fuisse crediturus sit. Longè verò errat quisquis me de iis potissimũ mercibus hîc loqui credit, quæ in aliis quoque nundinis, licet minus opulentis, prostare solent: nimirum de iis quæ ad vsus corporis, id est quæ ad victum, aut etiam ad victus delicias, (quo in numero sunt aromata) & quæ ad

veſtitum pertinent. Ego enim contrà, quum id dico, ad ea potiſſimum reſpicio in quibus hæ nundinæ peculiarem quandam laudem merentur: nimirū ad ea quæ in auro, argento, ære, ferro, aliiſque metallis ſunt elaborata: reſpicio ad vaſa aurea & argentea tanto artificio cælata vt in iis non ſolùm opus materiam ſuperare, ſed multo etiam magis ipſi artifices artem vincere dici poſſint. Deſinat deſinat antiquitas Mentoris vel Myos vel Calamidis manum tantopere admirari: deſinat Corinthii vel Lycii vel Naxii opificii vaſa tantopere nobis prædicare. Maiora enim Francofordienſes nundinę in eo etiam genere miracula ſpectāda præbent. Iam verò & æri non paruus, maior etiam ferro ibi ab opificibus habetur honos. Iis enim ſculpturis ferrum plerunque dignantur, quibus alibi vel ipſum aurū gloriaretur. Quid quòd tam multa in omni ſupellectilis genere (cui quidem metalla materiam miniſtrāt) nundinæ illæ ab annis aliquot protulerunt, vt tandem etiam inſtrumenta nobis dederint quorum ope vnus ea præſtaret quæ alioqui coniunctas multorum operas requirūt? Ecce enim, truſatilium molarum loco, brachiales (ſi nouæ rei nouum imponere nomen licet) molas dederunt, atque artem qua

vel vnius hominis brachia vice piſtrini eſſent, excogitarunt. Vnde enim illæ molæ quas omnes ante paucos annos tanta admiratione, quaſi è cœlo delapſas, proſequuti ſunt, niſi è nundinis Francofordienſibus prodierũt? Sed (qui eſt harum nundinarum genius, vt quæ præcedunt à ſequentibus aliquorum operum excellentia vincantur) earum admirabilitatem minuerunt fortaſſis alia quæ ex iiſdem profecta ſunt arte & ingenio incredibili confecta opera. Atque vt de quibuſdam ingenioſiſſimis & vel ipſo Archimede digniſſimis machinis, de variis itẽ quibus variȩ artes indigent inſtrumentis taceam, & in iis quæ ſupellectilis ſunt, pergã: quæ familia multum ſe his nundinis vel eo nomine debere non fatebitur, quòd inſtrumentum dederit cuius induſtria obitur præcipuum in re culinaria miniſterium, humana prius manu obiri ſolitum? Nam quum ad verſandum veru famulum famulámve alere neceſſe foret, rotulam nobis protulerunt Francofordienſes nundinæ, quæ hoc ipſo & non minus gnauiter & magis induſtriè fungeretur. Nec mirum ſanè, tot egregia & inſigni artificio fabricata opera illic proſtare, atque ex vnoquoq; emporio nouũ aliquod artificium, non aliter quàm olim ex

Africa nouum ſubinde feræ genus, prodire: quum plurimæ certatim vrbes, tanquã propoſitis ingentibus præmiis de eo contendãt, (ſola gloriæ cupiditate acres ſtimulos addẽte) vt ſuorum ciuium manus palmam illic obtineant. Inter eas autem minimè poſtrema eſt Norimberga, cuius ipſas etiam tabernas variis opificiis refertas ad nundinas illas Francofordienſes portatas eſſe credat quiſquis in ea verſatus fuerit. Et ſanè quiſquis Francofordium earum tempore perluſtrauit, is ſe eadem opera non minimam Norimbergæ partem (quod ad varia mercium genera attinet) perluſtraſſe dicere poteſt. Neque tamen Norimbergenſes tantùm, ſed etiam Auguſtani, Vlmenſes, Argentoratenſes, Brunſuicenſes, aliarúmque multarum vrbium opifices pro ſe quiſque ingenii ſui ſpecimẽ illuc mittere ſolenne habent. Tam multa denique támque miranda in omni propemodum materiæ genere, præſertímq; in metallis, artificia ibi viſuntur, vt in iis quæ plerique priſci ſcriptores de quorundam artificũ operibus memoriæ prodiderunt, non itidem ſuſpecta, præ admiratione, ſit eorum fides, ſed potius hæc ipſa quam antea in animis noſtris excitabãt, admiratio, minui aut etiam ceſſare debeat. Nam ſi & ad ſubtiliſſi-

mas artificii minutias veniendum sit, annõ tales ibi videre est, vt miraculo esse desinant illæ multorum scriptorum præconio celebratæ, quadrigula ex ebore, quam musca integebat alis, & parua nauicula quæ pinnis apiculæ abscondebatur? Quid quòd ea etiam quæ inter hanc artem & picturam in Græcia olim extitit æmulatio, hic quoque viget? Hîc enim plurima pictorum quoq; opera videre est (cum aliunde, tum ex Germania inferiore allata) quorum nonnulla eiusmodi sunt vt siquis eorũ excellẽtiam cum ea quæ cernitur in quorundã sculptorũ operibus ibi prostantibus, conferre velit, Apelles, Protogenes, Zeuxides, & Phidias, Praxiteles, Scopas inter se committere videri possit. Ac nequid in vllo artificii genere desiderari in nũdinis illis possit, encausticæ quoque artis insignia opera suppeditant. Figlina quidem certè ars talia illuc vasa mittit, cuiusmodi si fuissent Samia illa quibus rex Agathocles abacũ suũ instruere solitus fertur, haud tãta admiratione excepta frugalitas eius fuisset. Vt enim de iis fictilibus vasis taceam quibus addita est pictura, sunt quæ materiam suam alio alia colore eóque splendente dissimulantia, cum argenteis pulchritudine certare videantur. Verum denique esse comperietur

quod dixi, nimirum tãtum abesse vt vllum mercium genus (quod quidem alicuius momenti esse censeatur) in nundinis illis desideraturus sit qui eas adibit, vt multarum etiam de quibus ne cogitauerit quidem, neq; ex aliorum sermone cognitas habuerit, spectator futurus sit.

Iam verò habent & aliud quiddam sibi peculiare hæ nundinæ, quod quum eas valde & ipsum commendet, minimè silentio prætereũdum est. Quídnam illud est? Quòd ibi nulla aut valde rara oritur inter artifices inuidia: ea inquam de qua Græcum quoque prouerbium queritur: quódque pari sunt iure peregrini artifices cum iis qui vel vrbis illius vel vicinarũ sunt incolæ. Et quoniam aliquid etiam de cõmercio quod inter mercatores ibi spectatur, dicendum est, hoc posse de illo nõ minus verè quàm breuiter dici arbitror: siquas bonæ fidei reliquias Astræa in terris reliquerit, non minimam earum partem ibi superesse. Hoc quidem certè inter alia ibi ab omnibus cernitur, quod in multis Galliæ nostræ, sicut & aliarum regionum, mercatoribus, non spectari, pudet me fateri, sed fatendum est tamen: nimirũ quòd suas merces non multo pluris indicẽt quàm quanti eas vendere velint, & cum mediocri

lucro possint. Age verò, nónne hoc quoque miraculum nundinas istas valde hac in parte commẽdare debet, quòd & Iudæos ipsos, Iudęos, inquam, qui institutam ibi profitentur, Iudaicum suũ ingenium deponere quodammodo, & nobiscũ paulo meliori quàm Iudaica fide commercia exercere, (impellente, vt opinor, eos harum nundinarũ genio) videmus? Sũt sanè & ipsi non minimo nũdinis, si non ornamento, certè adiumento, præsertim quod ad pecuniæ permutationẽ attinet. Laudandáque est hac etiam in re prudentia Senatus Francofordiensis, quòd non minus acutè viderit quàm Plutarchus quomodo ex inimicis quoque capiendá sit vtilitas.

VENIO AD ALTERAS NVNDINAS, quæ illarũ quas commemoraui, velut accessio & auctarium censeri possunt: quanuis nihil cõmune cum illis habeant. A nundinis, inquam, Mercurii (si verum est illum talibus mercimoniis præesse) ad Musarum nundinas transeo: nisi potius nundinalem quãdam Musarum Academiam vocare debeo. Suos enim hæ typographos & bibliopolas in vrbem illam eodem nundinarum tempore conuocant: eósque secum, poetas, oratores, historicos, philosophos adducere

iubent: non eos tantùm quos olim Græcia & Italia genuerunt, ſed eos etiã quos gignunt quotidie quæcunque ab illis nouem ſororibus viſuntur regiones. Qui poſtquam eò omnes conuenere, non in ea Germaniæ ciuitate cui nomen eſt Francofordium, ſed in illa totius Græciæ olim florentiſſima & literarum ſtudiis celeberrima verſari tibi videaris. Niſi quis illũ qui rei literariæ deſtinatus eſt vicum, quem typographi & bibliopolæ incolunt, aliquis Francofordienſes Athenas appellare malit. Nã quis, obſecro, quum ſe ibi tot támq; doctorum ſcriptorum corona cingi videbit, Athenis agere ſe non arbitretur, quò cultores Muſarum commigrare quondam ſolebant, vt philoſophis & cæteris quos enumeraui operam darent? Fallitur enim qui hoc in vico, quem Athenas Francofordienſes appellari poſſe dixi, non ipſos ſcriptores ſed eorum tantùm ſcripta viſi putat: ad multos quidem certè quod attinet eorum qui ſuis ſcriptis ſunt ſuperſtites. Hinc fit vt qui è nullis bibliothecis percipi poteſt fructus, ex iſta nundinali (vt antea loquutus ſum) Academia percipiatur. Hîc nanque viua multorum præceptorum voce, qui è variis Academiis cõfluunt, frui omnibus licet: hîc plerunque in ipſis bibliopolarum taber-

nis aliquos nó minus ſeriò philoſophantes audias,quàm olim philoſophantes in medio Lyceo Socrates & Platones audiſſes. Nec verò philoſophos tantùm celebres illæ Academiæ, Viennenſis, VVitebergẽſis, Lipſienſis, Heidelbergenſis, Argentoratenſis, & inter peregrinas, Louanienſis, Patauina, Oxonienſis atque Cantabrigienſis: hæ inquam, aliǽque quas longum enumerare eſſet, nón philoſophos tãtùm illuc mittũt: ſed & quoſdam poetices,quoſdam artis oratoriæ,quoſdam hiſtoriæ, quoſdam mathematicarum ſcientiarum, nonnullos etiam earum ſimul omnium peritos: adeóque, vt paucis abſoluam, qui illũ orbem doctrinæ, quem Græci encyclopædiam ſiue encycliopædiam vocant, tenere ſe profiteantur. Falſò igitur dictitant Itali(amicus enim Plato,vt ille aiebat, ſed amica magis veritas) Germanis ingenium in digitis duntaxat eſſe collocatum: perinde nimirum acſi opificiis duntaxat, & mechanicis, vt vulgò appellamus, artibus, natio hæc excelleret. Viſant illi viſant Francofordienſes nundinas, atque has quas ſibi conſociatas habent, Atticas nundinas. Hæ profectò dictum illud primo ingreſſu mendacii coarguent, magnámque eo fieri huic genti iniuriam oſtendent. Neque verò hæ

Musarum nundinæ Mercuriales illas dignitate superant tantummodo, sed ipsa etiam (quod magis mirū est) copia cum illis quodammodo certant. Ibi enim literarii etiam Germanorum labores (vt interim de aliorū laboribus taceam) illorum operum in quibus ingeniū digitorum Itali se admirari dicunt, numerū propemodū æquant: nec minus literarum studiosi cum mercatoribus ipso itidem numero certare videntur. Ostēdant quæso ipsi Itali, ostendant in sua regione, non dicam quod cum nundinis istis hac in re comparari, sed quod vel cum minima illarum parte conferri possit. Aliquid certè ostentare, sed nihil ostendere poterunt.
Verùm enimuero etiamsi non aliud hæ Atticæ nundinæ, quàm domos omni genere librorum refertas darent (vt ibi plurimas videre est) miniméque hoc beneficii adderent, vt tot doctorum virorum sermonibus & colloquiis frui liceat: nónne quantiuis pretii Musarum cultoribus esse deberent? Nimirum haud minus locuplete bibliotheca (si sola librorum varietas spectetur) ditare aliquem possunt, quàm fuerint illæ, Ptolemæi, Polycratis, Pisistrati vel aliorum principum ab antiquitate celebratæ bibliothecę: & quidem ita vt minimè sumptus itidem

regales, id est immensos, vel potius(vt quidam loquuti sunt) immanes, in eam facere cogatur.

Quum autem Germania tantam librorum copiam studiosis literarum & ingenuarum artium in illa ciuitate congregat, nouum beneficium veteri addit. Cui beneficio? Tanto, vt nulla natio in literas post partam nobis à Christo salutem tantum contulerit. De eo enim loquor quo typographicam artem excogitauit, excogitata gaudere in sinu noluit, sed cum toto terrarum orbe, summo generis humani bono, communicauit. Vna enim eadémque opera crassas ignorantiæ tenebras discussit ac dispulit, regnantem iam passim barbariem solio suo detrusit procúlque fugauit, Musas exulantes reduxit, maximum literis incrementum ac firmissimum præsidium dedit. Atque hoc tanto beneficio non mirum est si tantum Musarum fauorem hæc regio emereatur. Vicissim autem se Musis cum in rebus aliis tum verò in his ipsis nũdinis fauere, eásque se quodam etiam inusitato honoris genere prosequi ostendit. Quum enim alibi ne admitti quidem ad nundinas soleant Musę, non solùm ad has admitti sed etiam magnificentissimè excipi videmus: quanuis eius-

modi sint illæ quæ præ quibuslibet aliis, belli officina (vt suprà Xenophontea voce appellaui) vocari possint. Nimirũ qui primi hoc instituerunt, vt ita in nundinis illis Musæ Marti velut sociarentur, eos longè falli, totóque (quod aiunt) cælo errare animaduerterunt, qui rei militaris & literarũ studiis nullam inter se consensionem esse, sed illa potius ex diametro pugnare arbitrarentur: quũ ex summis imperatoribus & à quibus res præclaræ gestæ fuerunt, plerosque non minus Musarum quàm Martis cultores atque adeo discipulos, paucos certè ab illis auersos fuisse (atque hos ferè ex barbara quapiam & agresti regione oriũdos) videamus. Vt enim ex Græcia Pericles, Agesilaos, Epaminondas, Philolaos, Xenophontes, aliósque plurimos omittam, ex Italia item cum alios multos, tum verò Africanos, Lælios, Furios prętercam, & rem ab vltima antiquitatis memoria repetam, nónne apud Homerum Phœnix comitem se Achilli iuueni à Peleo patre datum esse dixit, vt illum efficeret oratorem verborum actorémque rerum? Nónne prudentiæ, primæ, secundæ, tertiæ partes in arte militari, vt actioni in oratoria, tribuuntur? Atqui huius velut fomitem literas esse fatẽdum est: &, siqui sine literis aliquam pruden-

tiæ laudem consequuti sint, eos literis adiutos, multo maiorem consequuturos fuisse existimandum. Sed hac de re quum alia in oratione latius disseruerim, plura hîc addenda non censeo. Illa verò addam quæ mihi nuper ab his ipsis nundinis reuertenti & Vormatia transeunti in mentem venerunt: quòd minimè ab hoc loco, vbi egi de consociatis cum Marte Musis, minimè etiam à Francofordiensibus illis Athenis, de quibus modò dictum à me fuit, aliena esse videantur. Eam per vrbem spatiabar feriatus, quũ ecce, duas tabernas contiguas, vnam bibliopolæ, alteram artificis ensium conspicor. Ac primò quidem ita sum rem interpretatus vt hoc Musis infaustum omen esse dicerem: meámque hanc repentinam cogitationem versibus istis expressi,

En Musis habitat Mars proximus. an quòd amicus
Nunc sit eis quarũ maximus hostis erat?
Imò quòd stricto velit omnes ense fugare,
Hospita que is harum tecta futura putat.

Verùm hæc mihi ex aliorum sensu potius quàm meo, atque ex inueterata in multorum animis opinione, in mentem venerant. Postea enim velut ad me rediens, atque ita rem apud me considerans vt nihil illi opi-

nionis huius velut præiudicio tribuerem, malum omen in bonum verti, hoc quod ibidem fudi hexasticho,

Contiguas Musis Mauors en incolit ædes.
Quid rear? hócne aliqua calliditate facit?
An quas insidiis prius eminus ille petebat,
Nunc in eas tandem comminus ire parat?
Imò auersari ne iam, velut antè, putetur,
Cōtiguam idcirco cœpit habere domum.

Atque vt de hac secunda interpretatione bene sperem, facit Græcorum prouerbiū, quo secundas cogitationes esse sapientiores dicūt. Sed multo etiam magis illæ Francofordienses Athenæ hanc spem in animo meo confirmant: quippe quæ illi interpretationi apertè patrocinari videantur. Ibi enim Musas amicè Marti sociatas, & modo non contigua illi domicilia habitantes videre est: quum iis quibus Marti opus est mercibus proxima sit quæcunque Musis & Musarum cultoribus vsui esse potest supellex: atque adeò hanc supellectilem multi circunstent quos è suo ipsæ Musæ sinu sibi vicarios illuc mittunt. Hæc certè fecerunt vt tandem vlterius etiam augurium meum progressum sit: adeò vt & tertium hoc de iisdem tabernis carmen luserim,

Tecta colit Mauors quòd nunc vicina Camœnis,
Fallor ego, aut fausto hæc omine tecta colit.
Bellorũ pertæsus amat nũc ille Camœnas,
Quòd se indigna videt perfida bella geri.

Faxit verò Deus Opt. Max. tam bonus sim augur, vt huius epigrammatis lusus aliquãdo tandem serius euadat, & Mars ita bellorum sit pertæsus (quòd certè mirum nõ fuerit, quũ iam in mediis bellis quæuis aliæ potius quàm bellicæ & Marte dignæ artes spectentur) vt noua nundinas istas laudandi materia mihi cæterísque omnibus literarum amatoribus præbeatur: quòd nimirũ in his merces quæ ad Musas pertinent, auctæ fuerint: at quæ ad Martem, minui aut etiam deficere omnino cœperint.

DIXI.

LAVDATIO EQVI CVIVSDAM PRAESTANTISSIMI,

VITVPERATIO EQVI CVIVSDAM DETERRIMI:

Illius, in Francofordiensibus nundinis, huius, in Zurzacensibus empti.

AVTORE HENR. STEPH.

LAVDATIO EQVI CVIVSdam in Francofordiensi emporio empti.

CLIO.

Cōcitus hic fertur minimum calcaris ad ictum,
Concita ceu fertur pulsata ad tympana Thyas.

EVTERPE.

Hic si vel minimum calcaris senserit ictum,
Ad cursum rapitur quodam ceu percitus œstro.

THALIA.

Iste leuem metuit calcaris vel procul vmbram,
Non minus atque alij plagas domitore sub acri.

MELPOMENE.

Sic cursum hic celerat, si verbera fortè mineris,
Vt dicas validis accedere carbasa remis.

TERPSICHORE.

Si fortè in medio cursu hunc calcaria pungant,
Tunc alis alas superaddere velle videtur.

ERATO.

Hic simul attingi sentit calcaribus armos,
Conari credas cursum mutare volatu.

POLYMNIA.

Sese alij ostendunt calcar plerique timere,
Illius fremit hic potius pudibundus ad ictum.

VRANIA.

Seruilem ceu calcar equis plerisque timorem,
Sic nostro ingenuum testatur inesse pudorem.

CALLIOPE.

Hic sine calcari est aliorum victor equorum,
Calcari admoto se vincere nititur ipsum.

VITVPERATIO EQVI CVIusdam in Zurzacensi emporio empti.

CLIO.

Non magis aßiduis calcaribus iste mouetur,
Quàm si dura silex aut stet Marpesia cautes.

EVTERPE.

Ferrea non magis hic equitis calcaria curat,
Quàm facta è molli si sint calcaria lana.

THALIA.

Non minus hic equitis calcar cõtemnit acutum,
Quàm pelago incũbẽs cõtemnit flamina rupes.

MELPOMENE.

Non magis hic stimuli sentire videtur acumen,
Saxea quàm siquis pungat vel mortua mẽbra.

TERPSICHORE.

Non magis incussos horret calcaribus ictus,
Quàm quercus, nullis quæ sẽsib⁹ aucta, securim.

ERATO.

Non hic sæua magis calcaris verbera curat,
Littora quàm fluctus aut fluctus littora curãt.

POLYMNIA.

Non minus iste datos temnit calcaribus ictus,
Ictus fabriles incus quàm ferrea temnit.

VRANIA.

Hic densos metuit calcaris non magis ictus,
Quàm rapidus metas aut vlla repagula torrẽs.

CALLIOPE.

Non magis hic armos fodientia verbera curat,
Quàm curat vocémve lup⁹ numerúmve bidẽ-
c. ii. *(tum.*

LAVDATIO EQVI.

CLIO.

Fũgitur officio hic: quid eum calcaribus vrges?
Nempe loco laxæ fuerint calcaris habenæ.

EVTERPE.

Sollicitandus equus non est calcaribus iste.
Nã vetus est verbũ, memorẽ non esse monendũ.

THALIA.

Esset opus monitu siquando verberis vllo,
Quærẽdũ foret huic aliud, quod honestius esset.

MELPOMENE.

Hunc calcari vrges? adeò generosus & acer
Cum reliquus verber commune recusat habere.

TERPSICHORE.

Calcar ab hoc remoue. nãq; hũc q verbere tãgit,
Vel bene non nouit, vel verbere dignior ipse est.

ERATO.

Sit calcar procul hoc. alios tibi pungere fas est,
Hic titillatu tantùm tangatur oportet.

POLYMNIA.

Hunc equitaturus qui se calcaribus armat,
Arma in naturam poßit sumpsisse videri.

VRANIA.

Si sua natura hunc inter miracula censet,
Illam dedecorat qui verbera sæua minatur.

CALLIOPE.

Hunc, exosa sui cui sunt retinacula cursus,
Cur stimulas? cur non potius retinacula soluis?

VITVPERATIO EQVI.

CLIO.

Qui putat officij calcari hunc posse moneri,
Posse putat iungi vulpes, mulgerier hircos.

EVTERPE.

Non magis officij calcaribus iste monetur,
Fabula quàm surdum poßit narrata monere.

THALIA.

Est equus indignus calcaribus iste moneri:
Bubulà iam Plauti potius monumēta requirit.

MELPOMENE.

Quorsum calcar in hūc? nā calcar nō mage curat
Quàm si armos fuerit corio centuplice fultus.

TERPSICHORE.

Hunc in equū quæuis operam calcaria perdūt,
Ferro compactos vt siquis verberet armos.

ERATO.

Perdis calcar in hūc. aliorū hortamē equorū est
Calcar, ad hortamē magis & magis iste rigescit.

POLYMNIA.

Est aliorū equus hic nec verbere dignus equorū:
Mutemus tortis in eum calcaria flagris.

VRANIA.

Calcar hic infamat: flagris vrgere decebit,
Aut stimulo vaccā solito increpitare pigrātem.

CALLIOPE.

Hic meritò indignus calcaribus esse putatur:
Nam dedignari hunc persæpe videntur & ipsa.

LAVDATIO EQVI.

CLIO.

Vsqueadeò plantis equus est pernicibus iste,
Vt collati alij, tardi videantur aselli.

EVTERPE.

Hic vt currat equus tibi si spectare placebit,
Pegasei testem poteris te dicere cursus.

THALIA.

Si non Pegasei mentitur fama volatus,
Pegaseas queat hic pennas celare videri.

MELPOMENE.

Pythagoras animã quæ quondã in corpore clausa
Pegaseo, istius migrasse putasset in artus.

TERPSICHORE.

Forsan equi Neptune animã quẽ terra tridenti
Icta tuo fudit, rediuiuam hoc corpore claudis.

ERATO.

Nõ equus esse, equus hic noster, nec currere tãtũ,
Sed quẽdam cursum volucrẽ affectare videtur.

POLYMNIA.

Hoc Parthorum aliquis vectus si fortè fuisset,
Cursum æquare suæ sperasset posse sagittæ.

VRANIA.

Hic leuis interdum sic fertur more sagittæ,
Vt vel Lyncei oculos queat eius fallere cursus.

CALLIOPE.

Hunc si currentem potuisset Naso tueri,
Sese aliquam dixisset equo mutasse volucrem.

VITVPERATIO EQVI.

CLIO.

Arcadicos tam tardo asinos conferre caballo
Si libeat, tardos posthac vocitare recuses.

EVTERPE.

Istius incessum si contemplere caballi,
Esse vel alipedes præ isto iurabis asellos.

THALIA.

Tardigradũ hũc, dicet, quicunq; repẽtè videbit,
Quid video: hic asinus pelle est vestitus equina.

MELPOMENE.

Pythagoras bouis aut animam tardi vel aselli
Corpore in hoc pigro sedem posuisse putasset.

TERPSICHORE.

Siquam Pigritiæ prolem nos credimus esse,
Hic quoque Pigritiæ cur filius esse negetur?

ERATO.

Pigritiæ sobolem si nos hunc esse reamur,
Ipsam dicatur soboles superasse parentem.

POLYMNIA.

Ast ego de istius scitote quid augurer ortu:
Ex testudinis est & aselli semine mixto.

VRANIA.

Sic equus hic vester tardè plerunque mouetur,
Vt motum illius vix possit cernere Lynceus.

CALLIOPE.

Mutatæ scribens ter quinque volumina formæ
Naso, bouẽ hũc in equũ se trãsformasse putasset.

CLIO.

Gnauus ita hic equ⁹ eſt, poſſe vt videatur ab illo
In ſeſſorem aliquid gnaui tranſire vigoris.

EVTERPE.

Cuius tam celer eſt quanuis iam grandior ætas,
Quàm celeri credemus eum viguiſſe iuuenta?

THALIA.

Quanto eſt remigio velocior aura ſecunda,
Huius equi curſus tanto curſum anteit omnem.

MELPOMENE.

Quantum à lintre ſolet ſuperari oneraria nauis
Currendo, tantũ omnis equus ſuperatur ab iſto.

TERPSICHORE.

Vicerat hic reliquos, ſeſe quoque vicerat ipſum:
Non ſatis eſt, naturæ etiam vult victor abire.

ERATO.

Fallor ego, aut hic equ⁹ capitur dulcedine laudis,
Materiámque nouæ geſtit præbere ſubinde.

POLYMNIA.

Hic celerat curſum laxas vbi ſenſit habenas,
Non ſecus atq; ratis pandunt cui carbaſa nautæ.

VRANIA.

Hunc alij mirantur equi ſic ire citatum,
Tam tardos alios præ ſe miratur hic omnes.

CALLIOPE.

Quotquot apud vates extant præconia noſtros,
Immeritò cantata aliis, huic iure canentur.

VITVPERATIO EQVI.

CLIO.

Vel spatio hũc equitet si quisquam fortè diurno,
Postmodo pigritiæ contagia noxia sentit.

EVTERPE.

Cui plusquã pigra est, cui plusquã tarda iuuẽt᷒,
Eius qualis erit (siqua est speranda) senectus?

THALIA.

Quantũ cursu asinũ ceruus superauerit omnẽ,
Tantũ aliorũ equus hic cursu superatur equorũ.

MELPOMENE.

Pigritia hic equidẽ reliquos vult vincere sola:
Gnauiter ignauam velle exercere videtur.

TERPSICHORE.

Hic tardo gressu pridem superauerat omnes:
Non satis est, à se tandem superabitur ipso.

ERATO.

Tardior hic sese cunctas euadit in horas,
Tandem immobilior scopulis fortasse futurus.

POLYMNIA.

Huic in pigritia est constantia tanta caballo,
Adduci vt credas, quãuis laxentur, habenas.

VRANIA.

Vt quondam è ligno sonipes fabricatus Epeo,
Tãdẽ erit hic magno molimine (credo) trahẽd᷒.

CALLIOPE.

Huic parcet quicunque pigrũ tantũmodo dicet.
Torpidus hic equus est, alÿ plerique pigrantur.

CLIO.

Natura hoc in equo sese superare volebat:
Quid mirũ est, equus hic alios si vicerit omnes?

EVTERPE.

Ars alios imitatur equos pictoribus omnes,
Natura huic corpus dedit arti imitabile nulli.

THALIA.

Egregiam natura animam formauerat isti,
Hanc itidem egregia membrorũ in sede locauit.

MELPOMENE.

Stare loco hic nescit: neq; sunt quũ tẽpora somni,
Cũcta domãs somn° queat hũc domuisse videri.

TERPSICHORE.

Iste perinuitus somno sua lumina tradit,
Illáque cum magno superat luctamine somnus.

ERATO.

Quum potis hic nõ est tandẽ peruincere somnũ,
Id saltẽ euincit, somnum vt stans carpere possit.

POLYMNIA.

Tã pudet hũc somni, nũquã vt nisi teste remoto
Sustineat placidæ permittere membra quieti.

VRANIA.

Ingenti fremitu somnum excutit iste morantẽ,
Ceu nimium longæ faciens conuicia nocti.

CALLIOPE.

Huic si tardus equus stabulo societur eodem,
Ex tardo celerem factum lux postera reddit.

VITVPERATIO EQVI.

CLIO.

Æmula naturæ fabricata est vacca Myroni:
Natura hoc in equo cessisse videbitur arti.

EVTERPE.

Hũc propè nõ cernẽs aliquis, Nouus (aiet) Epeus
Naturæ doctum dedit hoc imitamen in arte.

THALIA.

Credita quõdam est ars animata fuisse Myroni:
Natura interdum dubites animarit an istum.

MELPOMENE.

Ambiguum sæpe est vigilétne an dormiat iste:
Et tantum ex oculis aliquis coniectat apertis.

TERPSICHORE.

Vsque soporato hic similis: forsánque frequenter
Et leporum somnos oculis imitatur apertis.

ERATO.

Ocnon equo conferre isti si fortè libebit,
Qui prius Ocnos erat, factus dicetur Aocnos.

POLYMNIA.

Somniferũ hic quiddã spirat: forsanq; periclũ est
Huic ne vicinos somni contagia lædant.

VRANIA.

Iste licet pigri geminarit tempora somni,
Hunc sibi terga putat vertisse fugacibus alis.

CALLIOPE.

Huic si gnauus equus stabulo societur eodem,
Ex gnauo factum lux postera cernit inertem.

LAVDATIO EQVI.

CLIO.

Lingua qbus celebrauit equos celebrátq; Pelasga
Nominibus, cuncta hæc vno superantur ab isto.

EVTERPE.

Qui donauit equis heroum nomina quondam,
Nũc equidẽ stupefactus in hoc hæreret Homerꝰ.

THALIA.

AEripedis ceruæ si nomen ab aëre ductum est,
AEripedẽ hũc aliquis mẽdaci haud dixerit ore.

MELPOMENE.

Non minus æripedem vocitare licebit ab ære,
Ἵππους χαλκόποδας *ceu noster dixit Homerus.*

TERPSICHORE.

Non solùm alipedis hic apud me nomẽ habebit,
Verùm & vẽtipedis, si lingua Latina probabit.

ERATO.

Haud cursu hũc superẽt Pyroeis, Eoꝰ, & AEthõ,
Solis equi, quos fama audet perhibere volucres.

POLYMNIA.

Quid si nõ equus est, sed equũ simulãtia mẽbra
Tam natura cito est animali aptasse putanda?

VRANIA.

Hunc gressus cernens adeò glomerare citatos
Cyllarus, illius cuperet sibi nomen habere.

CALLIOPE.

Pegasus esse suo potuit quod Bellerophonti,
Hoc equus hic equiti est, & solo nomine differt.

VITVPERATIO EQVI.

CLIO.

Ex locuplete penu poßit nec lingua Pelasgûm
Pigritiæ tantæ non impar ponere nomen.

EVTERPE.

Non hūc Mæonides noster vocitare Podargum,
Sed mirabundus vellet vocitare Podagrum.

THALIA.

Cruribus hunc adeò rigidis pedibúsq; caballum,
AEripedem meritò rigido dicemus ab ære.

MELPOMENE.

AEripedem hūc siquis nolit vocitare caballum,
Plumbipedis dare nomen ei fortasse licebit.

TERPSICHORE.

Addi saxipedis debet me iudice nomen:
Istorúmque trium spectantibus optio danda.

ERATO.

Nempe asininus equus dici queat iste caballus,
Aut Græcè Hippionos, si lĩgua hoc Græca ꝓbabit.

POLYMNIA.

Ipsa pigritia si quicquam pigrius vsquam est,
Fingere vel fas est, hinc nomen & iste meretur.

VRANIA.

Si magis ὀκνηρὸν quicquam tellus habet Ocno,
Illius effictum hic è nomine nomen habeto.

CALLIOPE.

Hic testudinipes dictus tibi Plaute fuisset,
Si tibi consueto libuisset more iocari.

CLIO.

Hic se prægressos multis quoque passibus omnes
Continuò assequitur, præcedit & ipse vicissim.

EVTERPE.

Nēpe oculos pudet hunc cōtendit q̄ procul acres,
Non illuc agilem subitò contendere cursum.

THALIA.

Quantū oculo spatiū semel est emensus hic acri,
Tantum emetiri pedibus vult posse repenté.

MELPOMENE.

Europam hoc in equo citius peragrauero totam,
Quàm quouis alio peragraro vel Ausonis arua.

TERPSICHORE.

Redditus hic stabulo, longi post tempora cursus,
Est indignanti similis, ceu carcere clausus.

ERATO.

Hoc in equo siquis subeat discrimina Martis,
Per tela incolumis, medios ruet ille per hostes.

POLYMNIA.

Hoc si vectus equo iuuenis Troiane fuisses,
Illæsus dubia poteras euadere pugna.

VRANIA.

Hoc in equo quicunque fuga peperisse salutem
Non poterit, non ipsa Salus seruauerit illum.

CALLIOPE.

Hunc equitat quisquis, ne diuersoria curet:
Quótque dies aliis, isti tot computet horas.

VITVPERATIO EQVI.

CLIO.

Hunc, nisi flagra vrgent, vbi sol conspexit eous,
Conspicit admirans & vespertinus ibidem.

EVTERPE.

Suspensos plerunque oculos tenet iste caballus,
(Vsqueadeò est tard⁹) moueatúrne ánne resistat.

THALIA.

Sicubi tam tardis traheretur bobus aratrum,
Ante solum versum meßis iam tempus adesset.

MELPOMENE.

Italiam velit hoc siquis peragrare caballo,
Hoc ad iter sibi Nestoreos is postulet annos.

TERPSICHORE.

Noctis equos tales optasset & esse Leander,
Hunc vbi vidisset, tales optasset & Hero.

ERATO.

Talibus vsus equis olim si Parthe fuisses,
De Roma nullos egisses Parthe triumphos.

POLYMNIA.

Militibus quotquot genuit natura fugaces,
Talia danda fugæ fuerint obstacula turpis.

VRANIA.

Si sapis, hunc qui vis equitare, viatica portes:
Esse vel ad cœnam socium te coget equinam.

CALLIOPE.

Quàm prius hūc equitās ad diuersoria quisquā
Appellat, sibi magna famus sciat esse pericla.

CLIO.

Hic equus hic gēmata meretur ephippia, dices,
Si, quantum reliquis præstet, spectare licebit.

EVTERPE.

Si pretiosis est aliquid pretiosius vsquam
Gemmis, inde equus hic sibi iure insignia poscit.

THALIA.

Diuorū inter equos nostrū hūc numerasset Ho-
Aut saltē zea pasci dixisset eadē. (merus,

MELPOMENE.

Huic qs equo sat magnus honos, qs posit haberi?
Nanq; honor est equidē minor oīs Olympic⁹ illo.

TERPSICHORE.

Siquos cursores habuisset Olympia tales,
Sese aliquos iactasset equos habuisse deorum.

ERATO.

Pindarus haud vllo reliquos dignatus honore,
Huius tota lubens implesset Olympia laude.

POLYMNIA.

Attica talis equus quídni prytanea meretur?
Quæ virtuti eius reddatur gratia maior?

VRANIA.

Si semel hūc videat Castor, videat quoq; Pollux,
Cyllare contemptus, cōtemptus Xanthe iacebis.

CALLIOPE.

Naturæ hoc in equo vates miracula cernat,
Qui se in naturæ vult totum effundere laudes.

VITVPERATIO EQVI.

CLIO.

Huic vt clitellis mutentur ephippia par est:
Imò & clitellis minus est hic dignus asello.

EVTERPE.

Auriculas asini dignum hic gestamẽ habebit:
Pigritia insigni digna hæc insignia gestet.

THALIA.

Quídni affigantur pigræ quoque cornua vaccæ?
Nanque hic pigritiam nobis imitatur vtrãque.

MELPOMENE.

Huic dare, si norit, sua Tellus dona recuset.
Nam fœno indignus, magis est indignus auena.

TERPSICHORE.

Carduus huic fœdi sedet ieiunia ventris,
Præsertim quum sit tardis mage tardus asellis.

ERATO.

Indignus certè hic qui carpat luminis oras:
Haúdque oculis illum sol aspicit (vt reor) æquis.

POLYMNIA.

Si sapitis, maturè istum castrate caballum.
Quid soboles eius fuerit nisi maxima pestis?

VRANIA.

Hoc quid fiet equo? rupes fortaßis in altas
Protrudendus erit, ceu Flacci tardus asellus.

CALLIOPE.

Siquis amat vates risúsque iocósque saléśque,
Iste ministrat equus risúsque iocósque saléśque.

LAVDATIO BACCHARAE, Ab Henrico Stephano ſcripta, quum Francofordia illuc nauigaſſet, Coloniam petens.

QVID video? num vana oculos fruſtratur imago?
Vectoréſne alios tandem ratis iſta recepit,
Triſtem illam in facie nubẽ indignata priorum?
Vectorum an ſubitò quiſque eſt mutatus ab illo
Qui fuerat? fugiſſe putes ex oribus ora.
Si tamen ora manent ea quæ prius eſſe ſolebant,
Eſſe repentè reor medicata potentibus herbis.
Nempe ſerenarũt tetricos hæc gramina vultus,
Et triſtes curas triſti cum nube fugarunt.
Iam noua pro curis ſubierunt gaudia pectus,
Iámque ſonant paßim riſúſque iocíque ſaléſq;.
Carmina pars dicunt: cantantibus aſſonat Echo,
Rhenum è vitiferis quæ collibus aſpicit Echo.
Fallor, an & ſenium in tenues euanuit auras,
Et quorum è vultu profugus decor ille iuuentæ
Antè fuit, decor ecce redux: ipſæque videntur
Iam capitis cœpiſſe niues vaneſcere cani.
Ecce renigreſcunt ſenibus (mirabile dictu)
Ecce renigreſcunt effœto in vertice crines.

Quid loquor? imò meos non vel medicamina Circes
Pocula vel Circes sic mutauere sodales:
Sed tua, nō itidem metuenda, ô Bacchara felix,
Pocula, non itidem dirum occultantia virus.
Non equidem sociis hæc indulsisset Vlysses,
Sed potius sociis hæc inuidisset Vlysses.
Ecce, etiam nostræ, nostræ tua pocula venæ
Ardorem inspirant hilarem, mentiq; recētem,
Quæ modò languidior fuerat, dant illa vigorē:
Et vigor hic crescit sensim crescentibus illis.
Magna loquor, possúmque tamē maiora referre,
Atque fide maiora etiam plerisque futura.
Nam quoties duplicis commisceo dona Lyæi,
Iámque colorem illis indo bicoloribus vnum,
Vix ea vix hausi, duplices quū pectore Musas
Sentio, quas Hellas, Latialis & educat ora.
Non aliâs (fateor) sensi præcordia Musis
Hospita: nempe tuos dum ignorauere liquores:
Nunc illíque simul subiere simúlque Camœnæ.
Credo, & Mæonidæ si Bacchara nota fuisses,
Ex te alium nobis potius cecinisset Achillem,
Laudibus ille suis alium decorasset Vlyssem,
Qui tuus aut vicini esset tibi ruris alumnus.
Quinetiā hic vates, reliquos q vicerat omnes,
Ipse sui poterat vates euadere victor:
Et princeps illi tandem geminata fuisset
Laurea: si heroum non prosiluisset ad arma

Cantāda, antè tuo quàm feruēs pectora Baccho.
Sic Anchisiadem Maro quū celebrare parabat,
Hunc si infudisset cupidis ô Bacchara venis,
Illam etiam sibi tot fundētem carmina venam,
Magno illam cumulo sensisset protinus auctam:
Tum magis audaci quosuis armasset in hostes
Ipsum animo heroē, mage digno semine diuûm.
Nec iam Castaliij fontis sibi posceret haustum,
Bacchareo simulatque lacu præcordia posset
Proluere hic vates, istáque calescere flamma.
Iam neque doctarum reuerentia tanta sororum
Quanta prius, non tanta foret reuerētia Phœbi.
Instar Castaliij vati tu Bacchara fontis,
Instar Musarum, sed & instar Apollinis esses.
Forsan & excuteres AEneïa prælia menti
Romani vatis: virtutes dicere forsan
Ille tuas, laudésque tuas pro laudibus illis
Cantare is mallet: Rhenum paritérque sonaret,
Hoc tibi gratificans, Rhenum te propter amaret.
Te siquidem Rhenus præ cunctis vrbibus vnā
Alluere optanti est similis, similísque volenti
Mœnibus ille tuis dare mollia brachia circum.
Illa etenim (video) præterfluit agmine molli:
Quiddā etiā blandū (tibi quod testetur amorē)
Murmurat, vt cœpit paulatim allabier illis.
Materiémque licet præbere in carmina largam
Vitiferi possent qui cingunt vndique colles,
Oppida quinetiam, celsísque in rupibus arces,

Quæ'que ibi Marte valens habitat Germanica pubes,
Quíq; illi placidas pceres moderãtur habenas:
Huic argumentum tamen esses Bacchara vati
Præcipuum: ille tua sempérque silentia laude
Rũperet, ósq; tua vellet quoque claudere laude.
Nam Rheno quanuis sint plurima digna relatu,
Ob quæ se meritò possit iactare beatum,
Et quum vel titulis queat esse superbus auitis:
Nec sine te felix, nec iam queat esse superbus.
Quid video? aduerso vecta est quæ flumine cymba,
Flumine nunc fertur, ni fallor, cymba secundo.
Ni fallor, dico? non me mea lumina fallunt:
Bacchareus Bacchus Rheni demulcet & vndas.
Non bonus ergo bono solus, Germania, vino
Possit equus fieri (vetus vt tibi sermo iocatur)
Ecce, bono fluuij cursus bonus est quoq; Baccho.
Nec laudem tamen hanc, bonus est vbicunque, meretur:
Bacchari bonitas Bacchi decus arrogat istud
Vna sibi, Rheno veteri indulgente sodali.
Rhene pater, solito precor amplectare fauore
Humani altricem generis, qua dulcior vsquam
Nulla est, & qua non est vlla benignior vsquã.
Annue Rhene pater: nẽpe ingens illa vicissim
Riparum poterit semper decus esse tuarum.
Annue: sic nunquam sentire repagula possis

Rhene pater, nulláque gelu te compede sistat.
Sic in te nunquam Boreæ permittat habenas
AEolus Hippotades, sed eos tibi carcere claudat.
Tu verò officij memor optima Bacchara nostri,
Mitte tuum, longè licet à me dißita, nectar.
Hæc mihi pocula sint, cōtemnā Gallia quotquot,
Græcia quotquot habet, quæcūq; dat Itala tellus.
Nec sitiam varios mihi quos lautißima Roma
Sæpe ministrauit latices: me iudice quanuis
Romanæ Bacchi sint maxima gloria mensæ.
Nec tibi displiceat quòd sobria pocula nūquā
Transiliam. non ista tuos mihi Bacchara tātùm
Relligio in latices, reliquos sed talis in omnes.
Nec Germanorum modulo metire tuorum
Gallia quos genuit. Germanis dolia quod sunt,
Hoc fuerint paruæ Gallis plerisque lagenæ.
Germani Gallos superant tantum arte bibendi,
Germanos Galli superant quantum arte canēdi.
Sed spondebo tibi (testémque vocabo Lyæum)
Si mentem fortè hæc subeat tam dira cupido,
Pocula tentandi quid plusquam sobria poßint,
Me prius in nullo positurum hoc esse liquore
Dulce rudimentum. fásque est si vera fateri,
Succubuere tuo tandem quicunque liquori,
His potius veniam iudex non deneget æquus.
Nā varia ob varios paßim celebrantur honores
Vina, sibi propriam poscentia singula laudem:
At tua cūctorum cumulata videmus honore,

Cunctorúmque simul titulos laudésq; mereri:
Perueniũt quoniã numeros bonitatis ad omnes,
Illiúsque valent sola hæc contingere culmen.
Bacchi igitur meritò tribuit tibi nomẽ ab ara,
Bacchara, quicũq; est prim⁹ tibi nominis autor.
Si tamen huc illum quis respexisse negabit,
(Quòd pede non graditur media est quæ sylla-
ba longo)
Te dignam saltem nequeat non ille fateri
Nominis huc autor cur respexisse putetur.

COENA POSTHIANA,

SIVE

KYLIKODIPSIA.

Autore Henrico Stephano.

HEri quæ tibi multa gratiarum
Egi millia, quum pedem referrem
Ex tuis epulis, reposco Posthi.
Et posthac itidem ore pertinaci
Matutinus eas reposcitabo,
Vespertinus ero reposcitator.
Si verò tibi pertinacitate
Meam vincere pertinacitatem
Statutum fuerit, velísque clauo
Clauum pellere: concitatus ira,
Non dicam tibi Phormianianam
Impingam, tragico sed ore dignam.
Haud opem feret hîc tuus Galenus,
Te nil Hippocrates queat iuuare,
Nil tyruncula turba, quæ sub illo
Iampridem meruit duce, & merebit.
At Bartolus erit mihi patronus:
Is legum mihi maximam cateruam
Mittet auxilio, vel ille collo
Obtorto quoque (si negent venire)
Ad causam trahet hanc meam tuendam.

Nec me deseret inclytus Panormus:
Iason aderit, vel inuocatus,
Heroésque alij vetustiores,
A quibus fuit illa iuris Argo
Deducta in mare tam periculosum.
Sed forsan sapies, meásque reddes
Gratias potius: nec experiri
Hæc extrema voles, amice Posthi.
Ecce, te audio multa murmurantem:
Te iam cerno meæ petitionis
Vt causam expediam subinnuentem:
Quid hoc dico, meæ petitionis?
Imò non venio petitor ad te,
Accedo repetitor, ídque iure.
Vanum sit tamen hoc quod addo, IVRE:
Iure, hoc IVRE meum approbare noles:
Ni causam prius explicaro certam,
Per quam & iuridicis probetur ipsis.
Te Posthi videor mihi videre
Hærentem attonitum ad meam querelam:
Quid tandem esse queat, quid esse causæ,
Cur quæ dona tibi dedi libenter,
Velim reddere te perillibenter:
Quæ profecta domo mea fuerunt
Atque vltro data dona gratiarum,
(Dona quæ nequeunt suum datorem,
Prodigum licet vsque, pauperare)
Cur domum cupiam meam redire.

Per multas tibi cogitationes
Anceps, anxia, mœsta mens oberrat.
Fallor, an mihi nauseationis
Esse tunc aliquid putas obortum,
Huic fastidia quod mouet diei?
Certè nil fuit vnde nausearem.
Mappam non epulis Horatianam
Posthi conqueror in tuis fuisse.
Sic mappam voco quam poeta nares
Corrugare refert. Horatianus
Ibi cantharus, optimum liquorem
Ministrans: paritérque Horatiana
Lanx, obsonia delicata gestans.
Nanque me mihi cantharúsque lánxque
Ostendebat, vt est iocatus idem.
Nec tantùm data mappa munda nobis:
Et mantilia siue chiromactra
Conuiuis data singulis fuerunt.
Nec necesse ibi (quod mihi meísque
Istis accidit in locis frequenter)
Iuribus variis coinquinatas
Manus tergere fascia immerente,
Quam nasus sibi destinarat ante.
Sæpe istud mihi contigisse dico.
Et meis ego fasciis abuti
Dum sic cogerer, inuidere cœpi,
Confluentia, ciuium tuarum
Fasciis: liceat mihi hoc fateri.

Imò ciuibus inuidere cœpi
Tuis quas lateri suo reuinctas
Fascias gererent capaciores.
(Vt nostri pueri puellulæque
Gestant fasciolas adalligatas)
Nam quæ sunt ibi naribus dicatæ,
Tergendis manibus puto aptiores.
Sed fascia ego narium ministra
Ad ministerium hoc volens abuti,
Hæc mecum tacito loquebar ore,
Quid si Persa fores, nihílque ferres
Tuis naribus vsui futurum?
Nam nec mungere natio solebat
Persarum, nisi testibus remotis:
Vllam si Xenophon fidem meretur,
Turpe mungere iudicasse Persas.
Nam si mungere turpe iudicarunt,
Nec munctoria gestitasse credo.
Subibat tamen ista res vicissim,
Non mantilia defuisse Persis,
(Sicut nec Latióve Græciáve)
Et hîc si Xenophon fidem meretur.
Sed ne longius euagetur ex quo
Sermo est curriculo profectus iste,
Posthi, nil fuit vnde nausearem.
Satis mundities vbique fecit.
In cibis quoque quos mihi dedisti,
Fecistíque satis meo palato,

Et plusquam satis. hoc mihi fatendum.
Primùm non melior Ceres sit illa
Quam caducifero deo ministrat
Lesbus ex Ereso sua petitam:
Quum Saturnius hunc dapes coemptum
Mittit, mensa quibus sua instruatur.
Sed magis Cererem magísne Bacchum
Acceptum dederis meo palato,
Haud constat mihi. nanque nec Lyæus
In vlla melior datus fuisset
Aula principis. vnicum Lyæum
Exceptum volo Baccharensis oræ.
Cuius nostra fuit Thalia laudes
Quo vellet numero sonare iussa:
Et conata quidem est, sèd erubescens
Suis par humeris onus negauit.
Iam verò Cereri tuæ & Lyæo
Non obsonia defuere, laudis
Amborum æmula quæ queant videri.
Illud præterea mihi placebat,
Quod tu, ceu medicus fores & illic,
Fecisti medica fidelitate.
Rogas quid fuerit? salubriorum
Delectus tibi quòd fuit ciborum:
Exclusis aliis, quibus refertas
Diuitum est etiam videre mensas.
Est solenne quibus dapes salubres
Et dapes quoque corpori malignas

In cæcum ſimul aggerare ventrem.
Cœnæ primus honos aui tributus,
Quam Graiûm Attica lingua ſic honorat,
Vt nomen det ei peculiare
Quod cunctæ ſibi vendicare debent.
Nec talis (memini) dabatur illa
Qualem Teutonicæ darent culinæ.
Impudenter enim meo palato
Reſponſans ea non erat. quod odi,
Vt quondam oderat & poeta Flaccus.
Hanc ſtipabat auem caterua magna
Quorum nomina mitto ferculorum.
Miſſus non bene ſum memor ſecundi,
Quòd ſermonibus occupatus eſſet
In multis animus, quibus corona,
Dulci pectora Libero caleſcens,
Iocoſo vndique perſtrepebat ore.
Tertium memini fuiſſe piſces.
Quos inter caput extuliſſe grandem
Lucium memini: haúdque grandiorem
Vllis gurgitibus reor natare.
Huic Germanica quæ quidem vocantur
Condimenta aderant, Apicianæ
Nil debentia regulis culinæ.
Atque hoc, hoc etiam ſatis recordor
Me miratum ibi, noluiſſe piſces
Ceu duces reliquis cibis præire,
Vt veſtros canonas ſcio iubere.

Quartus carnibus vltimúsque tostis
Seruatus fuit. anser inchoabat
Hunc missum altilis: anserúmque vulgo
Delicatior esse iudicatus,
Quanto suauior hœdulus parente,
Si tales aliquos alebat olim
Persis, delicias eos fuisse
Regias, tibi mira res videtur?
Capis Gallica si superbit ora,
Si Sabaudica iure pinguiosiores
Ob capos quoque rura gloriantur:
Et Germania iure sit superba
Suis anseribus. secundus illis,
In examine delicatiorum
Ciborum, locus haud erit negandus:
Si Germania talium sit altrix
Quales scit dare Posthiana mensa.
Sed vna volo quæstione rursus
Auocare animum tuum parumper.
Cur iecur melius sit anserinum,
Et cur grandius atque pinguius sit,
Ars si Iudaica anserem saginet,
Quàm nostra queat effici sagina,
Sumptu quolibet & labore quouis?
Vrbe hoc in Veneta fatentur omnes,
Vrbe hoc in Veneta queruntur omnes.
Nam conuiuia si parentur vlla
Illis magnificis futura digna,

Ad verpos homines eunt ministri:
Et preces ibi plurimas iniquo
Addentes pretio, domum reportant
Stupendæ iecora anserina molis,
Ceu toti in iecora anseres abissent.
Istam soluere (credo) quæstionem
Posthi non poterit tuus Galenus:
Et me ad Rabbinicos libros remittes,
Aut ad Thalmudicos graues magistros.
Fors & relligio tibi est comesse
Iecur Iudaicum, & nec auris ipsa
Hoc audire potest nisi grauate.
Ad tuum libet anserem reuerti,
Eius támque auidè sonare laudes,
Quàm dente est auido voratus à me.
Saltem carmine si parento, gratus
In manes ferar illius fuisse.
Non, quo more alÿ, refertus ille
Venit castaneis pyrísve ventrem:
Herbarum quoque caseíve mollis
Nulla venter erat grauis saburra:
Sed farcimen erant auicularum
Maximus numerus tenellularum.
Non plures ab equi puto exÿsse
Aluo quondam homines, Minerua per quem
Bello repperit exitum decenni,
Vulcaníque dedit furentis iræ
Manu mœnia fabricata Phœbi.

Fallor,

Fallor, an Latium dediſſe dicunt,
Aut certè in Latio dediſſe quoſdam,
Huius nomen equi (ioco haud inepto)
Ferculis ad eum modum paratis?
Hoc aiunt: memini. ergo noſter anſer
Iam Troianus equus queat vocari.
Troianis vtinam refertus eſſet
Iſtis orbis equis: referta ſaltem
Quæ domum via me referre debet.
Aut certè redimi locis in illis
Poſſent ære meo, quibus neceſſe eſt
Curando quoque corpori vacare.
Haud tum cogerer, hoſpitis ſuperbi
Ad menſam veniens, bouis ſuiſve
Pedem rodere, rancidóſque caules,
Et piſcem ictibus antè verberatum,
Latrantem in ſtomachum coaggerare.
Diuerticula ſed quòd eſſe poſſunt
Sermonis tibi tædioſa noſtri,
Ad metámque cupis ſuam venire,
(Suſpenſa quia mente nunc vacillas)
In viam redeo: breuémque conans
Eam reddere, præteribo multas
Quas longum foret hîc dapes referre.
Sed cocíve tui cocǽve nolim,
Quamlibet properans, tacere laudes.
Nec poſtrema mihi videtur iſta,
Quòd non (Teutonicæ vt ſolent culinæ)

Detractos verubus mihi calentes
Carbones dederint, parúmve carnes
Illis dißimiles. quibus sat aptum
Quum nomen mihi nesciatur vllum,
Carbones volo carneos vocare.
Laudandum hoc quoque, quòd modum tenere
Sciuit illa coci manus coca've
Miscendo in sale, caterísque rebus
Quas cibi illecebras habent palati.
Et hoc perplacuit, cubiculares
Quòd thermæ pariter caloris illum
Quem Galli peramant, modum tenebant.
Fecisti hoc quoque, credo, nationi
Meæ gratificans, vt illa cœna
Nos plus quattuor haud teneret horis:
Dormitatio ne superueniret,
Vel somnus potius satis profundus,
E mensa faciens cubile nobis.
Posthi, tot bona non negabo cœnæ
Adfuisse tuæ: fatebor imò
Illis omnibus adfuisse plura.
Sed præponderat omnibus vel vnum
Malum, quod queror inter hæc fuisse:
(Vlcus tangere si necesse tandem)
Quod non mente manet mihi repostum
Alta, sed capite hoc meo immerente.
Nónne iam potes inde suspicari
Quod mali genus hîc subinn uatur?

Dicam clarius vndénam laborem.
Quòd circa cyathos fui coactus
Laborare tuos ſiticuloſos,
Hinc certè miſer hinc miſer laboro.
Ah pudet, pudet hoc tibi fateri.
Cœnæ accumbere me tuæ iuuabat,
Nunc decumbere cogor ex eadem.
Nam quòd me capitis grauedo tentat,
Ortum eſt à cyathis tuis malignis,
Quos vocabo iterum ſiticuloſos.
Sic culpam mihi ſuſtinebis omnem.
Nec me iudice ſuſtinere culpam
Te Poſthi volo: prouocationem
Ad quoſcunque voles tibi relinquo.
Nulla ſed tibi prouocationis,
Longè maxima deprecationis
Cura (ſi ſapis) eſt gerenda Poſthi.
Te tuus quoque calculus nocentem
Non potis fuerit negare tandem.
An à te tibi prouocare ſit fas?
Paucis accipe conferenda cur ſit
In te culpa mei grauis doloris:
(Sic enim voco quo caput grauatur)
Et quínam capitis grauedo poſſit
Oriri ex cyathis ſiticuloſis.
Ad cœnam attuleram famem ſitímque,
Condimenta tuæ futura cœnæ.
Sed fame ſitis acrior premebat,

A potu ut foret inchoanda cœna,
Sicut regula præcipit Salerni.
Et quum tunc ego maximum sitirem
Craterem, similem Maronianis:
(Siue, quo trucibus Maro poeta
Hylæum Lapithis canit minatum:
Seu post quem canit ille se tegentem
Rhætum non latebras petisse tutas)
In scyphum miserum sitis misella
Incidit mea: cæterísque quanto
Magis gutturibus meum æstuabat,
Sortitum scyphon est eo minorem.
Quid dico scyphon? imò nominandus
Est verè scyphulus. velit Latinis
Id verbum dare Posthiana cœna.
Huic malo fuit additum secundum,
Iste quòd scyphulus mihi dicatus,
Ad meas quoties manus redibat,
Defraudatus erat sua malignè
Mensura: ut capite esse diminutum
Dicerem tacita iocatione.
Crescebat sitis hîc magis magísque:
Aspectus siquidem scyphi, vel unus
Multis partibus auctitabat illam.
Tantalus mihi sæpe tunc subibat:
Et mihi magis hoc miser videbar,
Voluenti hanc tacitam diu querelam.
Quæ captatur ei subinde lympha

Et nunquam capitur, ſitim perennat:
Guttæ vitigenæ mihi bibuntur,
Inter vitigenas perire guttas
Eſt ſiti mihi maximum periclum.
Quid putas animi fuiſſe Poſthi?
Quot me quot mala me putas precatum
Huius artifici ſcyphi fuiſſe,
Mali quum minimum leuamen à te
Maximi mihi tunc dari viderem?
Imò quod minimum fore arbitrabar
Leuamen, potius malum grauabat.
Quòd quam ſiſtere primus aut ſecundus
Hauſtus debuerat ſitim bibenti,
Si iuſti moduli calix fuiſſet,
Pitiſſatio (nanque tam minuto
Pitiſſare erat ex eo neceſſe)
Reddebat magis & magis ferocem.
Vt ſtatim necat aura magna flammas,
Parua ardeſcere quas magis videmus.
Pluſquam Tantaleus premebat ergo,
Me tritantaleus dolor premebat.
Tu verò inſidias mihi parabas,
Tu meæ inſidias ſiti parabas
Poſthi, illo ſcyphulo ſiticuloſo.
Nónne artis medicæ iubent magiſtri,
Quum fauces premit ardor ille febris,
Tunc vti cyatho capaciore,
Ne creſcat potius ſitis bibenti

Ex paruo cyatho & parum capace.
Adde quòd tibi Gallicus bibendi
Iam mos notus erat satis supérque.
Sciebas homini haud placere Gallo
Pitissare diu, diu esitare:
Nec sitímque suam famémque segni
Sensim pellere dimicatione:
Sed molimine nos repentè magno
Illam faucibus, hanc fugare ventre.
Nimirum insidias mihi struebas,
Tu meæ insidias siti struebas.
Tu cui est ebrietas procul fugata:
(Vllo carmine si potest fugari)
Cui peius cane peius est & angue
Exosa ebrietas (vt & Melisso)
Eius me laqueis quid implicabas?
Tu nanque & me odio Vatiniano
Nosti semper eam esse prosequutum.
Sed quid implicitum fuisse dico?
Implicare quidem fuit voluntas,
Virium tamen haud fuit tuarum.
Effugi laqueos periculosos,
Irretire meos quibus dolosè
Non pedes modò (quod minus timendum)
Sed sensus quoque Posthius volebat.
Proh, quæ mens mihi quæ domum reuersa
Versabat, memor illius pericli:
Quanta bile iecur mihi tumebat.

Non aper magis incitatur ira,
Extricatus vt est plagis: nec vrsus,
Obiectas caueæ vt semel catenas
Rupit, dat fremitus minaciores.
Habes omnia scire quæ volebas.
Et forsan quoque plura quàm volebas.
Habendus tibi nunc erit patronus,
Quærendus tibi nunc erit patronus.
Sed non inuenies patrocinandi
Vlla cui tibi suppetat facultas:
Non si, gloria curiæ Quirini,
Disertissima lingua Tulliana,
Hanc causam rediens velit tueri.
Tanti criminis es reus peractus,
Tanti criminis, vt nec ad tribunal
Vllum iam tibi prouocare sit fas.
Ni fortè adsitis ipsius tribunal
(Illos quæ calices amat malignos,
Qualem te mihi præbuisse dico)
Prouocare velis. sed ô misselle
Hoc quanto faceres vide periclo,
Ad Bacchi simulac veniret aures.
Hostis non fuit acrior Lycurgo,
Esset quàm tibi proh misselle Posthi.
Quídnam ergo facies? fatere culpam.
Cogeris simul omnibus fateri,
Esse haud cor mihi pertinacis iræ.
Te Posthi moneo: fatere culpam.

Non ex Ausonia tibi acciendus
Non ex Graiugenûm patronus oris.
Tertiùm moneo: fatere culpam.
Vna voce, satis tibi diserta
Lingua tunc fuerit patrocinatrix.
Extremum moneo: fatere culpam.
Ne magis mihi pectus asperatum
Ira præcipiti fuisse credas,
Quàm molle ad veniam videbis esse.
Sed tecum simul hoc libet pacisci,
Te nunquam cyathos siticulosos,
Te nunquam cyathos sitis ministros
Ausurum dare vel mihi vel illis
Meæ quos patriæ scies alumnos:
Illos sed cyathos honestiores,
Illos sed cyathos capaciores,
Qui statim poterunt sitim fugare
Ad Indos procul vltimámve Thulen.
Nil Posthi superest, nisi vt salutes
(Si sic per Latium loqui licebit)
Tot precer tibi, quot querela versus
Effudit mea non satis politos.
In multis siquidem fatebor vltro
Me rudis mihi conscium Camœnæ.
Te laudare tamen decebit omnes,
Mirarique velut perelegantes.
Si malum est etenim breue hoc poema,
De cœna quod habet mala querelam,

(Nam malam ob cyathos voco malignos)
Cœna ortum dederit malo ſecundo:
Et duplex tibi culpa ſuſtinenda:
Sin bonum poterit poema dici,
Eſt bonæ mala res origo, Poſthi.

AD POSTHIMELISSAEVM bellum subsidiaria epigrammata,

SIVE

METHYSOMISIA.

Autore Henr. Stephano.

DEtrudi ebrietas solio si possit auito,
Laus tua sit Posthi, laúsq; Melisse tua.
Famoso nãq; est per vos labefacta libello:
Víxque ignominiæ ferre valebit onus.
Euge quòd externo non oppugnatur ab hoste,
Sed linguæ indigenæ classica prima canunt.
Nempe hæ maiori pollebunt robore linguæ,
Irrita si non spes pectora nostra fouet.
Sed vestræ serò sumpserunt arma Camœnæ,
Intereáque nouos hæc populauit agros.
Quid si mens potius vobis præsaga futuri,
Ante istum vetuit bella mouere diem?
Fallor ego, aut præsaga fuit: præuidit & annum
Quo vires Tellus iungeret ipsa suas.
Iungit enim vires, dum parcè dona ministrat,
Ex quibus ebrietas luxuriare solet.
Sed neque dat tam blanda ori, nec amica saluti,
Quàm quæ olim nobis prodiga sæpe dedit.
Visceribúsque istos clamores tollit ab imis,
Audit verba in se dum queribunda iaci.

CVR TOT *vesano iactantur ab ore querelæ?*
Cur pro matre pia sæua nouerca vocor?
Præscribit pater omnipotens legémq; modúmq;:
Illius ad nutus pando vel arcto sinum.
An, tot dona malos mea quòd vertistis in vsus,
Illius hæc oculos fallere culpa potest?
Quum vos obrueret pleno mea copia cornu,
Tunc vsu illius maior abusus erat.
Quæq; penu locuples multos dederamus in annos,
Indomitæ fuerant præda repente gulæ.
Nec tantùm vestra ebrietas mea dona profanat,
Sed quæ in vobis sunt sacra, profana facit.
Vini etenim gurges pedibus calcare videtur
Insita dona sibi quæ rationis habet.
Illa sacri in vobis quæ debet imago parentis
Lucere, in sordes ebrietatis abit.
Vos hominem exuitis, permutatísque ferino
Ingenio humanæ denique mentis opes.
Imò quē domina hæc tenet arcta cōpede vinctū,
Atque premit turpi cui sua colla iugo,
Haud equidē tunc vna fera est, sed trāsit in oēs.
Tanta vno feritas pectore clausa manet.
Omnem more canis missum facit ille pudorem,
Ille sibi obscœnum iudicat esse nihil.
Porcorum in multis sordes imitabitur idem,
Et si qua est porcis bellua fœda magis.
Ille lupus fiet, tandem quoque fiet & vrsus:
Mox etiam frendens esse putetur aper.

Tigridis ingenium ſumet, ſumétque leonis,
Horribiles iras exſtimulante mero.
Relliquiáſq; hominis, quē vocis poſsidet vſum,
Vertet ad inſanis verba tremenda feris.
Quemlibet humanū lacerare hic auſit honorē:
Tandem & ſacrilego prouocet ore deum.
Quid mirū ſi arctetur opum menſura mearū,
Talia ne monſtra his luxuriare queant?
Ni caueant, & ni tandem reſipiſcere diſcant,
Quē nunc arcto ſinū, poſtmodo clauſus erit.
Perſonat his Poſthi Terræ clamoribus æther,
Quos tua dulciſono carmine Muſa iuuat.
Auxilio accurrit Pauli quoque Muſa Meliſsi:
Atque ita iā ternus clamor ad aſtra venit.
Ergo ſi ebrietas ſolio pellatur auito,
Poſthi meliſſæis laus quoque danda ſonis.
Sin tanto opprobrio ſeſe indignata laceſsi,
Vult magis atroci ſceptra tenere manu:
Saltem expers omnis veſtra eſt audacia culpæ,
In partem culpæ Terra vel ipſa venit.

De versibus qui scripti fuerunt & quotidie scribuntur in ebriosos.

Quisquis carmine ridet ebriosos:
Nec ridet modò, sed Catonianæ
Censuræ æmulus, audet increpare:
Non te Gallia ridet, increpátve,
Non Germania te, aut Britanna tellus,
Non te Hispania ridet, increpátve:
Nullam denique tale nationem
Carmen increpat: absit istud, absit.
Imò nullum hominem increpare dico.
Nam quis ebrius est homo putandus?

De contentione quæ fuit inter tres Picardos potores.

Tres orta est inter contentio magna Picardos,
Cui minor ad Bacchum est adijcienda Ceres.
Ad minimũ panẽ vini mihi cantharus ingẽs
Si potandus erit, non nego: primus ait.
Dimidium illius tantùm mihi posco (secundus
Inquit) & epotus mox erit ille mihi.
Tertius, Olfaciam calidũ tantummodo panem,
Hora hunc dimidia cantharon ebibero.
Germano hæc cuidam narrabã nuper: is inquit,
(Potandi hos miserãs quos putat esse rudes)
Ah, schola quæ vellet posséve fideliter artem
Potandi his Gallis tradere, nulla fuit.

Nam ſale conſperſum panem ſi ſomnio tantùm,
Poſſum vnum potus continuare diem.

In medicum quendam immodicè bibentem.

Sũ medicus, medicéq; bibo: mihi ſæpius inquis,
Pocula quum tua me dinumerare vides.
Innumerata licet per me potare: ſed audi,
Non bibit is medicè qui bibit immodicé.

IN RICHARDVM.

Bibendo malè, barbariſmus ingens
Commiſſus mihi, ſicut inquiebas.
Barbariſmus erat ſecundus hauſtu
Commiſſus mihi poſtea ſecundo.
Barbarum haud minus aut parum Latinum
In potu quoque tertio fuiſſe
Aiebas. fuerat nec ipſe quartus
Latinus ſatis, vt ſubinnuebas,
Solœcúmque aliquid latebat illo.
Surrexi ſubitò, fugámque cepi.
Non ſolœcophanes tamen Richarde,
Sed methyſophanes mihi timebam.

IN RODOLPHVM.

Allegare ſoles Rodolphe morem,
Quum iam largifluo madens Lyæo,
Vis madeſcere rurſus atque rurſus:

Vis, πίνειν nequiens, tamen προπίνειν:
Et fessus repetis tamen palæstram,
Atque audes ibi prouocare multos.
Quum nec par fiet Hercules duobus.
Quísnam mos, age, quis Rodolphe mos est?
Est ne mos Italus vocandus iste?
An Hispanicus iste, Gallicúsve?
An Germanicus, Anglicúsve mos est?
Huic mori (vt loquar ipse, te tacente)
Aptè nomen erit datum ebrioso.

IN AVLVM.

Quid facit, haud quæro: sed quæro vtrum facit Aulus.
Aut bibit, aut dormit: hæc duo sola facit.

In eundem.

Pocula miraris tua cur ieiuna vocarim?
Multa siti tribuis tempora, nulla fami.

In eundem.

Si sunt ambo hominis cẽsenda, sitísque faméſq;:
Tu tantùm sitiens, dimidiatus homo es.

IN PHILIPPVM.

Ebrium negat esse se Philippus,
Et se vnquam negat ebrium fuisse.
Sese ingurgitat is tamen Lyæo,
Vt lingua officio pedésque fungi
Non poſsint, stomachus nec ipse par sit

Ferendo

Ferendo illi oneri quod aggerauit.
Cur ergo hoc negat ille pernegátque?
Cur dici ebrius haud poteſt Philippus?
Quòd (credo) eſt quibus ebrius diebus,
Nullus tempore ſit Philippus illo.

De libro quem Vincentius Obſopœus ſcripſit De arte bibendi.

Germanis artem quam norunt tradere cur vis?
Cur tot doctores ſint tibi diſcipuli?
Nimirum ars illis non eſt tradenda bibendi,
Ars ſitiendi illis aptior eſſe poteſt.

Quæ ſit ars bibendi.

Germania arte ſe bibendi cæteris
Putat anteire gentibus, quòd plus bibat:
Quocunque tandem vina pitiſſet modo.
Non artis iſtud arbitrantur plurimi:
Sed artis eſſe, poculis & grandibus
Superare poſſe, poculis & pluribus.
At ipſe, quanto pauciore quis mero
Superare poßit quamlibet ſitim, reor
Artis bibendi doctiorem cæteris.

IN QVENDAM.

Eſt onus (fateor) ſitis moleſtum,
Onus quod fugiunt timéntque cuncti,
Et deponere quod ſolent lubenter:

f. i.

Si tamen cupiam tibi placere,
Sectaríque tuam bibacitatem,
Gestare hoc cupiam necesse semper.

IN AVLVM.

Temporis facit illibenter Aulus
Iacturam, vt solet ipse dictitare,
Tantillúmque dolet sibi perire.
Cur sic temporis est auarus Aulus?
Quod tempus sibi dictitat perire?
Quo non potat, ait perire tempus.

In eundem.

In potu bene collocare tempus
Sese Aulus putat, atque collocari
Nulla in re melius, frequenter inquit.
Totos ergo dies terit bibendo:
Noctium quoque perlaboriosus
Partem non minimam diebus addit:
Et tamen queritur perire tempus.
Quod tempus vacuum dolet perire?
Quo dormit, queritur perire tempus.

IN RICHARDVM.

Tantùm è pocululis bibit Richardus,
(Quæ pocilla vocat Latina lingua)
Pitissare sibi solenne dicit.
Quídnam vocibus aucupatur istis?

Quum pedes nimio labant Lyæo,
Nolit ebrius ille nominari,
Sed tantùm ebriolus velit vocari.

IN AVLVM, de eodem diminutiuo.

Prandio ſolet ille noſter Aulus
Semiſobrius è ſuo redire.
Sed acceßio prandij prioris
Eſt quod prandiolum ſolet vocare.
Huic ſeruat calices capaciores,
Quibus ſobrietas procul fugatur.
Cúrnam prandiolum vocare mauult?
Ebrium neget vt fuiſſe ſeſe,
Et tantùm ebriolum fuiſſe dicat.
Verùm grammatici negant licere
Voce diminui quod augeatur.

IN RICHARDVM.

Pitiſſare ſolet tantummodo vina Richardus,
Hauſtibꝰ haud magnis epotat vina Richardus:
Ebrius ergo rogat quínam queat eſſe Richardus.
Heſiodus pro me reſpondeat iſta Richardo,
Nam ſi vel paruum libeat ſuperaddere paruo,
Et ſæpe hoc facias, magnus citò fiet aceruus.
Verba vel Heſiodi (ſi non mihi fidit) habeto.
Εἰ γάρ κεν καὶ σμικρὸν ἐπὶ σμικρῷ καταθεῖο,
Καὶ θαμὰ τοῦθ' ἔρδοις, τάχα κεν μέγα καὶ τὸ γένοιτο.

De voce Germanica qua ebrius significatur.

Quos dixit μεθύων Pelasga lingua,
Et quos Romulidæ ebrios vocarunt,
Hos Germania dicit esse plenos,
Vt Germanica vox sonat Latiné.
Sic vxórque vocat suum maritum,
Filiúsque suum vocat parentem.
Mirum, se toties vocare plenos,
At sese vacuos vocare nunquam.

De quodam præsule.

Præsul nomen habens viri bibacis,
Nec bibax modò, vulgus vt videmus,
Sed verè tribibax (Latina nomen
Hoc illi dare lingua ne grauetur)
Vir amplißimus vndecunque, vir cui
Pingue corpus erat, crumena pinguis:
Mensæ regificè sibi paratæ
Dum nauare operam studeret omnem,
Sudore vndique diffluebat, imo
Ducens pectore spiritus anhelos.
Tum quidam hunc miserans, ait, laboris,
Quàm bonus vir hic est laboriosé.
Respondi, Putat illa verba forsan,
VVLTVS PANIS ERIT DEHINC EDENDVS IN SVDORE TVI, *hunc habere sensum.*

Illius generis loquendi quo dicitur aliquis esse bene potus, reprehensio iocosa.

In re si modus est tenendus omni,
In potu quoque sit tenere rectum.
Cur potum bene nos vocamus ergo,
Potum plus satis esse quem putamus?
Lingua sic loquitur (scio) Latina:
Sed forsan voluit fauere Græcis,
Græcandíque aliis item peritis.
Nam potum malè rectius vocasset.

De bibacium & edacium dicto.

Bibacitatis esse plurimi suæ
Causam queruntur maximam cælum suum:
Edacitatis causa cælum plurimis.
Vtrique habere me sibi fidem volunt.
Vtrisque habere tum volo demum fidem,
Quum facta cæli vtrisque permutatio,
Fecerit edaces qui bibaces antea,
Vicissim edaces in bibaces verterit.

DE PHILIPPO.

Omnes inueniunt domi Philippum:
Haud vnquam inuenio domi Philippum.
Illic cernere quem putant Philippum,
Alloqui queo quem putant Philippum:
Ipsum cernere non queo Philippum,
Atque ipsum nequeo alloqui Philippum.

Plerunque ebrius est enim Philippus.
Apud se minimè est bonus Philippus,
Secum non habitat bonus Philippus,
Philippóque deest suus Philippus.
Quî tunc inueniam domi Philippum?
Ipsum cernere quî queam Philippum?
Alloqui quoque quî queam Philippum?
In se haud inuenit ipse se Philippus.

DE MARCO.

Dormire lucem Marcus in multam solet,
Vt crapulam poßit suam edormiscere.
Dormitionis plurimi longæ rogant
Causam, nec esse crapulæ addictum sciunt.
Ego (inquit ille) pareo psalmographi
Oraculo, VANVM ANTE LVCEM SVRGERE.

EPITAPHIVM EBRIOSI

cuiusdam iuuenis, per parodiam, ex Catulliana passeris deploratione: cuius initiũ, Lugete ô Veneres Cupidinésq;, Et quantum est hominum venustiorum.

Lugete ô calices capedinésque,
Et quantum est hominum bibaciorum.
Vester mortuus est sodalis ille,
Quem plus quisque oculis suis amabat.

Nam rex vester erat, suúmque norat
Bacchum tam bene quàm puella matrem.
Nec sese à Bromio suo mouebat,
Sed circunspiciens modò huc, modò illuc,
Ad sola illius arma gestiebat.
Qui nunc it per iter siticulosum,
Illuc vina negant vbi videri.
At vobis bene sit bonæ tenebræ
Orci, quæ hæc citò monstra deuoratis.
Tam fœdum barathrum meri abstulistis.
O factum benè, ô bonæ tenebræ:
Vestra nunc opera, improbo biboni
Vini pernicie haud rubent ocelli.

ALIA EIVSDEM HENR.

Stephani epigrammata, eiusdem argumenti: ex illius epigrammatum libris excerpta, & nuper excusa in libello qui Collegij Posthimelissæi votum appellatur.

Χανδοπόται δοιὼ πολύοινον στῆσαν ἀγῶνα.
Ἦν μέσος ἀμφοτέρων Βάκχος ἀγωνοθέτης.
Γαστὴρ δ' οὐκ ἔχαδεν φόρτον, λελακυῖα δὲ ῥήχθη.
Βάκχος ἀγωνοθέτης, Αἰακὸς ἦν δὲ βραβεύς.

IN ANCVM.

Ebria quum tantùm simulasses pocula nuper,
Stertisti ternos ebrius hosce dies.
Ebrietas simulata tibi si tanta sit Ance,
Proh, quanta ebrietas vera futura tua est!

In eundem.

Hebraicos etiam libros es doctus, vt inquis:
Nasus at ebriacos obijcit Ance libros.

De Italis à quibus Galli vocantur Botiglioni.

Est Italo Gallus botiglion: *qua voce lagenas*
Obijcit: atque hoc sunt compita rauca sono.
Non Gallos Itali, sed (credo) odere lagenas:
Nanque loco illarum dolia plena volunt.

IN CHARINVM.

Quæ tu cunque facis, quæ dicis cunq;, Charine,

Aulica tu nobis hæc vocitare ſoles.
Aulicus, immani qui verba ad ſingula rictu
Diducit riſus turpiter ora tibi.
Aulicus eſt geſtus, quo nullus ineptior vſquam,
Ipſo cum manibus geſticulante pede.
Aulicus es, balba ſiquando es nare loquutus:
Aulica ſunt auri barbara verba tuæ.
Aulicus es, muco ſiquando eſt obſita naris:
Aulicus es, barbam quum tibi pædor habet.
Aulicus, ore lupos quoties imitare voraces:
Aulicus, es gurges quando Charine meri.
Aulicus es, crudo quoties è pectore ructus,
Et crudos ructus quæ comitantur, eunt.
Quænam hæc aula foret, dubius perſæpe rogaui,
Delicias tantas quæ tibi tótque parit.
Nunc, quũ αὐλὴν porcis tribuiſſe recorder Homerum,
De porcorum aula te quoque credo loqui.

De Picardis & Lemouicibus.

Qui Cerere & Baccho Venerẽ frigere carentem
Dixit, ei minimè Gallia nota fuit.
Lemouici vna Ceres, Picardo eſt cura Lyæus:
Picardo haud friget Lemouicíque Venus.

DE CORDO, POTORE *egregio, moriente.*

Elyſios moriens campos cur ſemper in ore

Cordus habet?lingua hos cur moriēte sonat?
Hos optat, vini quoniam putat esse feraces:
Ne vel post mortem sit metuenda sitis.

IN QVENDAM.

Falsò te vocitant virum ebriosum:
Semper-ebrie vincis ebriosum.

IN QVENDAM MENdacissimum.

Nullo fateri vera te quum tempore,
Nullo fateri vera quum dico loco,
Ύπαρque vera nulla, non ὄναρ loqui:
At vina saltem (dicis) inter, proloqui
Me non negabis vera: nec tolles mihi
Donare cunctis quod solet verbum vetus.
Quid? veritatis es professor ebrius?
Imò fateri vera si licet mihi
Apud fateri vera nescium virum,
Non veritatis es professor ebrius,
Sed illa certè est veritas tua ebria.

In eundem.

Si vera verum est te solere dicere
Duntaxat inter vina, quum poto bene
Cœpit Lyæo pectus incalescere,
Habet Ennianum veritas hæc quidpiam.
Vt arma poterat ille nunquam dicere
Nisi potus esset, sic nisi poto tibi
Expectorari veritas nequit tua.

DE QVODAM FAVSTO, potore strenuissimo.

E lecto surgens peteret quum pocula Faustus,
Ne mirere, inquit: nox mihi salsa fuit.

IN AVLVM.

Ebrius est Aulus, quum sobrius: atque vicissim,
Si non ebrius est, sobrius esse nequit.
Nã quũ sobrius est, tum clamat vt ebrius, ardet
Ad pugnas, cælo miscet & ille mare:
At verò patris post munera larga Lyæi,
Tum placidus carpit munera somne tua.

IN POSTHVMVM.

Posthume, sobrius es, vis ebrius esse videri:
O quàm sobrietas insidiosa tua est!

LEPIDVM GERMANI cuiusdam dictum.

Temperet vt lympha vinũ, dum fortè monetur
Germanus quidam, talia verba refert:
Si subiens vestes, adeò solet esse molesta,
Pernicies stomacho quãtáq; pestis aqua est?

DE OENOPHILO POTO- re egregio, moriente.

OEnophilo Lachesis quum rũpere fila pararet,
Lingua illi tales dat moribunda sonos:

Tantalus ante oculos ſemper verſatur, & ingẽs
Excruciat miſerum quæ ſine fine ſitis.
Nanque ſiti nequeam tantæ par eſſe ferendæ,
Nulla vel eſt horam cui tolerata ſitis.
Tunc aliquis ſolans. Eſt vnus Tantalus illic
Qui ſitit, haud ſentit cætera turba ſitim.
AEger ad hæc, Si quem ſitientem videro tãtùm,
Materies fuerit non mihi parua ſitis.
Ille iterum ſolans, Nil præter ſtagna lacúſque
Quod ſemper ſitiat, Tantalus (inquit) habet.
Quid tũc O Enophilus? Iã lætior ibo ſub vmbras:
Sola mihi eſt vini nam metuenda ſitis.

IN MARCVM.

Quòd voco te iuris doctorem vtriuſq;, ſuperbis:
At de ſorbilibus iuribus iſta loquor.

DE AVCTO.

Vt vinũ guſtet, pateram magnã ebibit Auctus,
Contentus prima nec tamen eſt patera.
Nanque fuiſſe negat mundã: iubet ergo lauari.
Qua lota, rurſus viſcera ſicca lauat.
Ille meri qui iam guſtandi eſt tantus in arte,
Potandi fuerit quantus in arte meri?

IN PONTIFERVM.

Ducis anũ tremulã iuuenis florentibus annis,
Dentibus eſt pridem quæ viduata ſuis.

Hac ratione bonis te parcere posse putasti,
Quæ dentata ederet iuncta puella tibi.
Falleris.haud ista tantillum proficis arte:
Nanque quod hæc ederet, Pontifer,illa bibet.

Epitaphium cuiusdam poto-
ris egregij.

Qui iacet hîc,vita moriens iurauit in omni
Passum duntaxat se semel esse sitim.
Hunc ne credideris falsum iurasse viator:
Perpetua huic viuo nam fuit vna sitis.

EPIGRAMMATA EX ANthologiæ libro: quæ & ipsa ebrietatem atque ebriosos oppugnant, & Posthimelissæo bello subsidiaria esse possunt.

ἘΚ ΤΟΥ͂ ΠΡΩ͂ΤΟΥ ΒΙΒΛΊΟΥ.

Ἀντιπάτρου.

Μηδ᾽ ὅτ᾽ ἐπ᾽ ἀγκύρης, ὀλοῇ πίστευε θαλάσσῃ,
Ναυτίλε, μηδ᾽ εἴ τοι πείσματα χέρσος ἔχει.
Καὶ γὰρ Ἴων ὅρμῳ ἔνι κάππεσεν, εἰς δὲ κόλυμβον
Ναύτου τὰς ταχινὰς οἶνος ἔδησε χέρας.
Φεῦγε χορειτυπίην ἐπινήϊον. ἐχθρὸς Ἰάκχῳ
Πόντος. Τυρσηνοὶ τοῦτον ἔθεντο νόμον.

Ἄδηλον.

Ὁ πρὶν ἀεὶ Βρομίου μεμεθυσμένος οἰνάδι πηγῇ,
Σιώτροφος δ᾽ ἄσταις, αἰγοπόδης σάτυρος,
Διχθάδιον κατὰ κῶμον ἀλυκτοπέδησι λυγωθεὶς,
Ἔντεα παιδὶ θεᾶς χαλκοτορεῖ Θέτιδος.
Οὐ σοφὸν ἐκ τέχνας ἀσκῶν πόνον, ἀλλὰ πενιχρὰν
Ἐργάτιν ἐκ μόχθων ῥυόμενος βιοτάν.

Ἄδηλον.

Α. Ποῦ σοι κεῖνα κύπελλα λαφύστιε, ποῦ καλὰ θύρσων

EADEM EPIGRAMMATA Latinitate donata à Iosepho Scaligero.

EX LIBRO PRIMO.

Antipatri.

Seu tibi fundatam puppim tenet anchora, siue
Portus habet, noli credere nauta mari.
En portu submersus Ion perit: ille natando
Ducere non potuit brachia vincta mero.
O qui naue vehis, potum fuge: pontus Iacchum
(Tyrrheni ius hoc instituere) fugit.

Incerti autoris.

Ille prius Bromio titubans vestigia rore,
Ille comes Bacchis semicaper satyrus,
En paria ærata deuinctus compede crura,
Nunc nato Thetidis fabricat arma deæ.
Non quidem honorato defungitur ille labore,
Sed miseram hac vitam sustinet arte suam.
In versu tertio pro κῶμον legit κῶλον.

Incerti autoris.

Nunc vbi sunt calices, vbi quos iaculare solebas

Πήγματα, καὶ κῶμοι, σκιρτοπόδη σάτυρε;
Τίς σε παρὰ σμίλαισι ποδίκροτον ἅμμα καθάψας
Θήκατο, τὸν Βρομίῳ παρθέν' ἑλιξάμενον;
Β. Αἰσχήμων ἔνδεια, καὶ ὁ πάντολμος ἀνάγκα,
Ἅ με παρ' Ἡφαίστῳ θῆκε μαρμαλοπόταν.

ἘΚ ΤΟΥ͂ ΤΡΙ῎ΤΟΥ.

Ἄδηλον.

Μορτάδα τὴν ἱεραῖς με Διωνύσου παρὰ ληνοῖς
Ἄφθονον ἀκρήτου πασσαμένην κύλικος,
Οὐ κόνις ἀφθιμένην βαιὴ κόνις· ἀλλὰ πίθος μοι,
Σύμβολον εὐφροσύνης, περπνὸς ἔπεστι τάφος.

Ἀντιπάτρου Σιδωνίου.

Τῆς πολιῆς τόδε σῆμα Μαρωνίδος ἧς ἐπὶ τύμβῳ
Γλυπτὴν ἐκ πέτρης αὐτὸς ὁρῇς κύλικα.
Ἡ δὲ, φιλάκρητος καὶ ἀεὶ λάλος, οὐκ ἐπὶ τέκνοις
Μύρεται, οὐ τεκέων ἀκτεάνῳ πατέρι·
Ἓν δὲ τόδ' αἰάζει καὶ ὑπ' ἠρίον, ὅττι τὸ Βάκχῳ
Ἅρμενον οὐ Βάκχου πλῆρες ἔπεστι τάφῳ.

Λεωνίδου.

Μαρωνὶς ἡ φίλοινος, ἡ πίθων σποδὸς,
Ἐνταῦθα κεῖται γρηῦς· ἧς ὑπὲρ τάφου
Γνωστὴ πρόκειται πᾶσιν Ἀττικὴ κύλιξ.
Στένει δὲ καὶ γῆς νέρθεν οὐχ ὑπὲρ τέκνων,
Οὐκ ἀνδρὸς, οὓς λέλοιπεν ἐνδεεῖς βίου·
Ἓν δ' ἀντὶ πάντων, οὕνεχ' ἡ κύλιξ κενή.

Ἀργενταρίου.

Thyrsos, & potus faune petulce tui?
Quis limæ admonuit? quis vinclis induit artus?
Quem Bacchi cunas conuoluisse ferunt.
Pauperies, durisque urgens in rebus egestas,
Vulcano fumum me bibere illa dedit.

Incerti autoris.

Mortas anus, quæ tot duxi (dũ vita manebat)
Ad sacros Bacchi pocula plena lacus,
Puluere non condor. tumuli vice suaue peractæ
Vitæ argumentum doliolum impositum est.

Antipatri Sidonij.

Lõgæua hæc sunt busta Maronidos: ínq; sepulcro
E silice est fabra sculptus ab arte calix.
Multibibax & multiloquax an⁹ hæc neq; natis,
Sed neque natorum paupere patre gemit.
Hoc vnũ est quod flet vel busto condita: Baccho
Vas habile hoc, Bacchi quòd sit inane, gemit.

Leonidæ.

Nex doliorum, temulenta hîc conditur
Anus Maronis. sculptus est tumulo super,
Cunctísque noscitandus Atticus calix.
Nunc vel sepulta non viro aut natis super
Flet, quos reliquit rerum egenos omnium:
Illud flet vnum, quòd calix inanis est.

Ἀρχίου παρίου.

Ἡ Βρόμιον στέρξασα πολὺ πλέον ἢ τροφὸς Ἰνώ,
Ἡ λάλος ἀμπελίνη γρηΰς Ἀριστομάχη,
Ἡνίκα τὴν ἱερὴν ὑπέδυ χθόνα, πᾶν δ' ἐμαράνθη
Πνεῦμα, πάρος κυλίκων πλεῖστον ἐπαυρομένη,
Εἶπε τάδε Μινῶϊ πάλαι, φέρε κάλπιν ἐλαφρὴν·
Οἴσω κυάνεον τοὐξ Ἀχέροντος ὕδωρ.
Κ' αὐτὴ παρθενίην γὰρ ἀπώλεσα. τοῦτο δ' ἔλεξε
Ψεύδες, ἵν' αὐγάζῃ κἠν φθιμένοισι πίθον.

Ἀντιπάτρου.

quàm sint mēte ad oĩa præcipiti? vt clamēt? vt tumultuētur? vt in omnē errorē facilè inducātur? vt, quoties irascūtur, nihil recōditū in pectore habere possint? Incōtinētia autē circa voluptates omnino ex vino, ceu fonte, emergit: & vnà cū meraco intēperātiæ morb⁹ irrūpit, quæ omnē pecudū furiosam in fœminas libidinē, inferiorē libidine ebriorū efficit. Quippe quū bruta animātia naturæ terminos agnoscāt: at verò ebrij in mare fœminā, in fœmina marē quærāt. Atq; oĩa quæ ex ebrietate oriūtur mala, ne persequi quidē facile fuerit. Illæ certè noxæ quæ sunt ex pestilētia, ꝑgressu tēporis homines subeūt, aëre paulatim suā corruptionē corporib⁹ indente: at quæ ex vino sunt, statim irrūpunt. Quū enim ita perditi sint, quod attinet ad animā, vt omnis labis stigmata inusta habeāt, ipso etiā corporis habitu corrūpūtur: nō solùm immēsis voluptatib⁹, quæ ad libidines incendūt, liquescētes & diffluētes, sed etiā ipsam corporis molē præ nimio humore flaccidā & velut purulētam habētes, ita vt vitali vigore sit priuatū. Horū liuidi sunt oculi, cutis subpallida, spiritus elāguescens, lingua balbutiens, clamor nullū certum sonum edens. Pedes autem illis puerorum more titubant. Fiúntq; illis excrementorum deiectiones sponte sua, tanquàm ex inanimatis defluentes. Miserabiles profectò ob luxum: ac longè miserabiliores quàm qui tempestate in mari agitantur, quos succedentes alij aliis

καὶ ἐπιβαπτίζονται κύματα, ἀναφέρειν οὐκ ἐπι-
τρέπει τοῦ κλύδωνος. οὕτω δὴ καὶ τούτων αἱ ψυχαὶ
ὑποβρύχιοι φέρονται, βεβαπτισμέναι τῷ οἴνῳ. διό-
περ ὡς τὰ χειμαζόμενα πλοῖα, ἐπειδὰν ὑπέραντλα
γένηται, ἀναγκαίως τῇ ἐκβολῇ τοῦ φόρτου κουφί-
ζεται· οὕτω καὶ τούτοις ἀναγκαῖαι τῶν βαρυνόντων
αἱ ἀποθέσεις. ἐμοῦντες γὰρ καὶ ἀποβλύζοντες, μό-
λις ἐλευθεροῦνται τοῦ βάρους. τοσοῦτον τῶν δυσ-
πλοούντων ἐλεεινότεροι, ὅσον οἱ μὲν ἀνέμους καὶ
θάλασσαν καὶ τὰς ἔξωθεν ἀνάγκας ἐπαιτιῶνται,
οἱ δὲ αὐθαίρετον ἐπισπῶνται τὸν ἐκ τῆς μέθης
χειμῶνα. ὁ δαιμονῶν, ἐλεεινός· ὁ δὲ μεθύων, τὰ αὐτὰ
πάσχων, οὐδὲ τοῦ ἐλεεῖσθαι ἄξιος, αὐθαιρέτῳ δαί-
μονι προσπαλαίων. οἱ καὶ μέθης συντιθέασι φάρ-
μακα, οὐχὶ τὸ μὴ παθεῖν τι δεινὸν ἀπὸ τοῦ οἴνου, ἀλλὰ τὸ
μὴ διαλείπειν μεθύοντες, μηχανώμενοι. ὀλίγη μὲν
γὰρ αὐτοῖς ἡ ἡμέρα, μικρὰ δὲ ἡ νύξ, καὶ ἡ χειμέριος,
πρός γε τὸν τοῦ πότου χρόνον. τέλος δὲ οὐκ ἔστι τοῦ κα-
κοῦ. αὐτὸς γὰρ ἑαυτὸν ὁ οἶνος ἐπὶ τὸ πλεῖον προσά-
γει. οὐ γὰρ τὴν χρείαν παραμυθεῖται, ἀλλ' ἑτέρου πό-
του χρείαν ἀπαραίτητον ἐμποιεῖ, ἐκκαίων τοὺς με-
θύοντας, καὶ ἀεὶ πρὸς τὴν τοῦ πλείονος ἔφεσιν προ-
καλούμενος. ἀπλήρωτον δὲ τοῦ πίνειν τὴν ὄρεξιν
ἔχειν ἐπινοοῦντες, τὸ ἐναντίον πάσχουσιν ἢ προή-
ρηνται. τῇ γὰρ συνεχεῖ τῆς τρυφῆς τὰς αἰσθήσεις
ἀπομαραίνουσιν. ὡς γὰρ τὸ ἄγαν λαμπρὸν ἀμαυροῖ
τὰς ὄψεις, καὶ ὥσπερ οἱ τοῖς μεγάλοις ψόφοις κα-
τακρουόμενοι, τῇ ἀμετρίᾳ τῆς πληγῆς εἰς τὸ μηδὲ

& obruẽtes fluctus emergere ex illa nõ ſinunt. Sic certè horũ animæ vino ſubmerſæ peſſũ eũt. Quãobrẽ, vt nauigia quæ tẽpeſtate agitãtur, quum eorũ ſentina exũdat, neceſſe eſt oneris iactura exonerari: ita etiã his neceſſariæ ſunt rerum quæ ipſos grauãt deiectiones. Vix enim & cibũ & potũ euomẽtes, onere leuãtur. Atq; in hoc ſunt miſerabiliores ijs qui aduerſa nauigatione vtũtur, q̃ hi quidẽ in vẽtos & mare atque alias neceßitates exter nas culpã conferũt, at his eſt tẽpeſtas quã ſua ſpõte ex ebrietate attraxerunt. Qui à dæmone poßidetur, miſeratione eſt dignus: at ebrius, qui idẽ patitur, ea eſt indign⁹: quippe qui vltro cũ dæmone luctetur. Quinetiã remedia cõparant ebrietatis, nõ operã dãtes vt nihil mali à vino patiãtur, ſed vt ſine intermißione ebrij eſſe poßint. Breuis enĩ ipſis eſt dies, breuis etiã nox, vel hyberna, ad potãdi ſpatiũ. Atq; huius mali nõ eſt finis. ipſum enim vinũ ſemper vlterius ſe prouehit. quandoquidẽ nõ medetur neceßitati, ſed facit vt alio potu neceſſariò indigeãt: incẽdens ebrios, & ſemper ad maiorem bibẽdi cupiditatem incitans. Quum autem inexplebilem bibẽdi cupiditatem comparare ſibi cogitent, euenit illis contrarium ei quod optant. Luxus enim aßiduitate ſenſus tabefaciũt. Nam ſicut id quod valde ſplendidum eſt, oculos hebetat: & quẽadmodũ quibus aures pulſantur magno ſonitu, illa pulſatione immodica eò rediguntur vt ne

ἀκούειν παντελῶς πειράζονται· οὕτω καὶ οὗτοι λελήθασιν ἑαυτοὺς ὑπὸ τῆς ἄγαν φιληδονίας τὴν ἡδονὴν ἀπολέσαντες. ἄποιος μὲν γὰρ αὐτοῖς καὶ ὑδατώδης ὁ οἶνος, κἂν ἄκρατος ᾖ· χλιαρὰ δὲ τοῦ νεαροῦ ἡ ἀντίληψις, κἂν τὸ ἀκραιφνέστατον ᾖ. κἂν αὐτὴ χιὼν, καταβέσαι τὴν ἔνδον ἐν αὐτοῖς ἐκ τῆς ἀμετρίας τοῦ οἴνου καιομένην φλόγα οὐ δύναται.

ΤΙ'ΝΙ οὐαί; τίνι θόρυβος; τίνι κρίσις; τίνι ἀηδίαι καὶ λέσχαι; τίνι συντρίμματα διακενῆς; τίνος πελιδνοὶ οἱ ὀφθαλμοί; τῶν ἐγχρονιζόντων ἐν οἴνῳ, καὶ κατασκοπούντων ποῦ πότοι γίνονται. Τὸ οὐαὶ, θρηνῶδές ἐστιν ἐπίφθεγμα· θρήνου δὲ ἄξιοι οἱ μεθύοντες, διότι μέθυσοι βασιλείαν θεοῦ οὐ κληρονομήσουσι. Θόρυβος δὲ, διὰ τὴν ἐκ τοῦ οἴνου ταραχὴν ἐγγινομένην τοῖς λογισμοῖς. καὶ ἀηδίαι, διὰ τὰς πικρὰς ἐκ τῆς τοῦ πίνειν ἡδονῆς ἀναδόσεις. τούτων γὰρ δεσμοῦνται μὲν οἱ πόδες, δεσμοῦνται δὲ χεῖρες, ἐκ τῶν ἐπιπεμπομένων αὐτοῖς παρὰ τῆς μέθης ῥευμάτων. καίτοι καὶ πρὸ τούτων τῶν παθῶν, παρ' αὐτὸν τὸν καιρὸν τοῦ πίνειν, τὰ τῶν φρενιτικῶν αὐτοῖς συμπίπτει πάθη. ὅταν γὰρ πλήρεις αἱ μήνιγγες γένωνται τῆς αἰθάλης, ἣν ὁ οἶνος ἐξατμιζόμενος ἀναφέρει, βάλλεται μὲν ὀδύναις ἀφορήτοις ἡ κεφαλὴ, μένειν δ' ὀρθὴ ἐπὶ τῶν ὤμων μὴ δυναμένη, ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλα καταπίπτει, τοῖς σπονδύλοις ἐνολισθαίνουσα. Λέσχην δὲ λέγει τὴν ἄμετρον ἐν τοῖς συμποσίοις καὶ ἐμφιλόνεικον ὁμιλίαν. καὶ συντρίμματα διακενῆς γίνεται τοῖς

audiant quidē ullo modo: sic & isti, dum nimium sunt voluptarij, se amittere voluptatem non animaduertunt. Vinum nanque illis insipidum & aqueum est, etiamsi merum sit: & nouū eorum gustui tepidum est, licet maximè defæcatū. Ne ipsa quidem nix flammam quæ in illis ex immodico vini potu accenditur, poßit extinguere.

CVI uæ? cui tumultus? cui iudicia? cui molestiæ & confabulationes? cui cōfractiones temeré? Quorum liuidi sunt oculi? Nónne eorū qui in vino tempus terunt, & circunspectant vbi compotationes celebrentur. Illud οὐαὶ est lamētantis acclamatio. Lamētatione autē digni sunt ebrij: quoniā ebriosi regnū Dei non poßidebunt Tumultus verò, propter illam ex vino turbulentiā, quæ subit intellectū. Et molestiæ, propter acerbas quæ ex bibēdi voluptate proueniūt exhalationes. Horum enim vinciūtur pedes, vinciuntur & manus, ex defluxionibus quas ebrietas ipsis immittit. Quāquā & ante hæc mala, in ipso potationis tempore, eadē illis quæ & phreniticis cōtingūt. Quū enim mēbranæ cerebri plenæ fuerint fumo, quē vinū emittit dū euaporatur, caput doloribus qui intolerabiles sunt afficitur: & quū manere rectū super humeris nō poßit, modò in hæc modò in illa decidit, in vertebras procūbēs. Λέσχην autē nominat immodicam & contentiosam in cōuiuiis confabulationem. Quinetiam confractiones temere fiunt

οἰνόφλυξιν, οὐ δυναμένοις ὀρθοῦσθαι ὑπὸ τῆς μέθης. ἀνατρέπονται γὰρ εἰς παντοῖα πτωμάτων σχήματα· ὥστε ἀναγκαῖον αὐτοῖς ἐπὶ τοῦ σώματος συντρίμματα ἔχειν διηνεκῆς. ἀλλὰ τίς εἴπῃ ταῦτα τοῖς οἰνοπλήκτοις; καρηβαροῦσι γὰρ ἐκ τῆς κραιπάλης, νυστάζουσι, χασμῶνται, ἀχλυῶδες βλέπουσι, ναυτιῶσι. διὰ τοῦτο οὐκ ἀκούουσι τῶν διδασκάλων, πολλαχόθεν αὐτοῖς ἐμβοώντων, Μὴ μεθύσκεσθε οἴνῳ, ἐν ᾧ ἐστὶν ἀσωτία. καὶ πάλιν, Ἀκόλαστον οἶνος, καὶ ὑβριστικὸν μέθη. ὧν παρακούοντες, αὐτόθεν ἔχουσι τὰς ἐπικαρπίας τῆς μέθης. οἰδαίνει μὲν γὰρ ὁ ὄγκος, ὀφθαλμοὶ δίυγροι, στόμα ξηρὸν καὶ διακαές. ὥσπερ γὰρ αἱ χαράδραι, ἕως μὲν ἂν αὐταῖς ἐπιρρέωσιν οἱ χείμαρροι, πλήρεις εἶναι δοκοῦσι, παρελθούσης δὲ τῆς πλημμύρας ξηραὶ καταλείπονται· οὕτω καὶ τοῖς οἰνόφλυξι τὸ στόμα, ἐλλιμνάζοντος μὲν τοῦ οἴνου, πλῆρες ἐστί πως καὶ δίυγρον· μικρὸν δὲ παραδραμόντος, ξηρὸν καὶ ἄνικμον ἀπελέγχεται. παρασυρόμενον δὲ ἀεὶ καὶ κατακλυζόμενον τῇ ἀμετρίᾳ τοῦ οἴνου, καὶ τὴν ζωτικὴν ἰκμάδα προσαποβάλλει. ποία γὰρ κατασκευὴ ἀνθρώπου οὕτως ἰσχυρὰ, ὥστε τοῖς ἐκ τῆς μέθης κακοῖς ἀντισχεῖν; τίς γὰρ μηχανὴ, τὸ ἀεὶ θερμαινόμενον καὶ ἀεὶ διάβροχον τῷ οἴνῳ γινόμενον σῶμα, μὴ οὐχὶ ἔκπλυτον καὶ ἐξίτηλον καὶ διερρυηκὸς γενέσθαι; ἐντεῦθεν οἱ τρόμοι καὶ αἱ ἀσθένειαι. κοπτομένου γὰρ αὐτοῖς τοῦ πνεύματος ὑπὸ τῆς ἀμετρίας τοῦ οἴνου, καὶ τῶν νεύρων λυομένων τῆς συντονίας,

vinolentis, qui præ ebrietate se erigere nõ possunt. Prosternuntur enim in omnem casus formã: ita vt necesse sit eos in corpore cõfractiones temere habere. Sed quis hæc dixerit ijs qui vino sunt percußi? Hi enim ex crapula grauedine capitis tentantur: dormitant, oscitant, caligantes oculos habent, nauseant. Propterea non audiunt præceptores, qui variis è locis inclamant illis, Ne inebriemini vino, in quo est luxuria. Et rursum, Vinum petulãtes, ebrietas iniuriosos reddit. Quæ oscitãter audientes, ex tempore mercedem suæ ebrietatis referunt. Inflatum enim est illis corpus, oculi humidi, os siccum & ardens. Sicut enim conualles, quandiu quidem in eas influunt torrentes, plenæ esse videntur: at postquam inundatio præterijt, relinquuntur aridæ: sic etiam vinolentis os, dum quidem vinum id proluit, tanquam ibi stagnans, plenum est & humidum: at vbi paulum absceßit, siccum & humoris expers comperitur. Dum autem semper abripitur & submergitur vino immodico, etiam vitalem humorem amittit. Quæ enim structura hominis tam firma, vt malis quæ ex ebrietate oriuntur resistat? Quî potest enim fieri vt quod semper calefit & semper vino humectatur corpus, ei succus omnis non eluatur, non flaccescat atque exolescat? Hinc tremores & debilitates. Quum enim percellatur spiritus nimia vini copia, & neruorum intensio resoluatur,

ὁ κλόνος τῷ σύμπαντι ὄγκῳ τοῦ σώματος ἐπιγίνεται. τί τὴν κατάραν τοῦ Κάϊν ἐπὶ σεαυτὸν ἐπισπάσαι, τρέμων καὶ περιφερόμενος διὰ παντὸς τοῦ βίου; οὐ γὰρ ἔχων τὸ σῶμα τὸν ἐκ τῆς φύσεως στηριγμὸν, ἀναγκαίως περιδονεῖται καὶ κατασείεται. μέχρι πότε οἶνος; μέχρι τίνος μέθη; κινδυνεύεις λοιπὸν βόρβορος εἶναι ἀντὶ ἀνθρώπου· οὕτως ὅλως ἀνεμίχθης τῷ οἴνῳ, καὶ συγκατεσάπης αὐτῷ, ἐκ τῆς καθημερινῆς κραιπάλης οἴνου ἀπόζων, καὶ τούτου διεφθαρμένου, ὥσπερ τῶν ἀγγείων τὰ ἄχρηστότατα.

Τούτους Ησαΐας ὀδύρεται, Οὐαὶ οἱ ἐγειρόμενοι τὸ πρωῒ, καὶ τὸ σίκερα διώκοντες· οἱ μένοντες τὸ ὀψέ. ὁ γὰρ οἶνος αὐτοὺς συγκαύσει. μετὰ γὰρ κιθάρας καὶ αὐλῶν τὸν οἶνον πίνουσι. τὰ δὲ ἔργα Κυρίου οὐκ ἐμβλέπουσι, καὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν αὐτοῦ οὐ κατανοοῦσι. Σίκερα, πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐμποιῆσαι πόμα, τοῖς Εβραίοις ὀνομάζειν συνήθες. οἱ οὖν δεχομένης ἡμέρας περισκοποῦντες ποῦ ποτε γίνονται, καὶ οἰνοπώλια καὶ καπηλεῖα περιαθροῦντες, καὶ ἀλλήλους ἐπὶ τὸ πίνειν παρὰ λαμβάνοντες, καὶ πᾶσαν τῆς ψυχῆς τὴν μέριμναν περὶ τὴν τῶν τοιούτων φροντίδα καταναλίσκοντες· οὗτοι ὑπὸ τοῦ προφήτου καταθρηνοῦνται, ὡς καιρὸν οὐδένα ἑαυτοῖς πρὸς τὴν τῶν θαυμασίων τοῦ θεοῦ καταν ὀήσιν ἀπολείποντες. οὐ γὰρ ἄγουσι σχολὴν οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶν ἀνανεῦσαι πρὸς οὐρανὸν, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ κάλλη καταμαθεῖν, καὶ πᾶσαν τὴν ἐν τοῖς οὖσι διακόσμησιν ἐπισκέψασθαι,

quassatio toti corporis moli superuenit. Cur illam in Cainum imprecationem in teipsum attrahis, tremens & vacillans per totam vitam? Corpus enim quum non firmetur vt natura poscit, necesse est agitetur & concutiatur. Quousque vinum? quousque ebrietas? Periculum est ne deinceps ex homine cœnum fias. Adeo vino prorsus es immixtus, & cum eo factus es putridus, ex quotidiana crapula vinum olens, & quidem corruptum, non secus ac inutilissima vasa.

Horum vicem Esaias deplorat, Væ illis qui surgunt manè, & sicera sectantur: qui expectant vesperam. vinum enim ipsos comburet. Nam cum cithara & tibiis vinum bibunt: opera autem Domini non aspiciunt, & opera manuum eius non considerant. Sicera, potum omnem qui ebrietatem afferre potest, Hebræis nominare mos est. Qui igitur orto die speculantur vbi compotationes fiant, qui œnopolia & cauponas circunspiciunt, & alij alios ad potationes adducunt, atque omnem animi cogitationem circa harum rerum curam consumunt: hi à propheta lugentur, vt qui nullum tempus ad miraculorum Dei considerationem sibi relinquant. Neque enim oculi eorum otium habent erigendi seipsos ad cælum, & variam eius pulchritudinem animaduertendi, atque omnem quæ in rerum natura est ordinationem perpendendi,

ὥστε ἐκ τῆς τούτων διαταξίας τὸν δημιουργὸν ἐν-
νοῆσαι. ἀλλ' ἅμα τῆς ἀρχομένης ἡμέρας, κοσμοῦσιν
ἑαυτῶν τὰ συμπόσια τάπησι ποικίλοις καὶ ἀνθίνοις
παραπετάσμασι· σπουδήν τε καὶ ἐπιμέλειαν εἰς
τὴν τῶν ἐκπωμάτων παρασκευὴν ἐπιδείκνυν-
ται, ψυκτῆρας καὶ κρατῆρας καὶ φιάλας, ὡς ἐν
πομπῇ τινι καὶ πανηγύρει, διατιθέντες· ὡς αὖ τὸ
τῶν ἀγγείων διάφορον τὸν κόρον αὐτοῖς ὑποκλέ-
πτῃ, καὶ ἡ τῶν ἐκπωμάτων ὑπαλλαγὴ καὶ μετάβασις
ἱκανὴν αὐτοῖς εἰς τὸ πίνειν διατριβὴν ἐμποιῇ.
συμποσίαρχοι δέ τινες ἐπὶ τούτοις, καὶ ἀρχιοινοχόοι
καὶ ἀρχιτρίκλινοι· καὶ τάξις ἐν ἀταξίᾳ, καὶ διά-
θεσις ἐν ἀκόσμῳ πράγματι ἐπινενόηται· ἵν' ὥσπερ
ταῖς ἀρχαῖς ταῖς ἔξωθεν ἐκ τῶν δορυφορούντων ἡ
σεμνότης συναύξεται, οὕτω καὶ τῇ μέθῃ, οἷον βασι-
λίδι τινὶ, θεραπείαν περιστήσαντες, τὸ ἐπονείδιστον
αὐτῆς τῷ ὑπερβάλλοντι τῆς σπουδῆς περιστέλλωσι.
στέφανοι ἐπὶ τούτοις, καὶ ἄνθη, καὶ μύρα, καὶ θυ-
μιάματα, καὶ μυρίαι τινὲς ἔξωθεν θυμηδίαι, πλείο-
να τὴν ἀσχολίαν τοῖς ἀπολλυμένοις παρασκευά-
ζουσιν. εἶτα, πόρρω προϊόντος τοῦ πότου, ἅμιλλαι περὶ
τοῦ πλείονος, φιλονεικίαι καὶ ἀγωνίσματα, ἀλλή-
λοις ὑπερβάλλεσθαι φιλοτιμουμένων κατὰ τὴν μέ-
θην. καὶ ὁ ἀγωνοθέτης αὐτοῖς, ὁ διάβολος· καὶ ἆθλον
τῆς νίκης, ἡ ἁμαρτία. ὁ γὰρ πλείονα τὸν ἄκρατον ἐγ-
χεάμενος, οὗτος φέρεται κατὰ τῶν ἄλλων τὰ νικητήρια.
ὄντως ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν. φιλονεικοῦσι
μὲν γὰρ ἀλλήλοις, ἀμύνονται δὲ ἑαυτούς. ποῖος λόγος

ita vt ex apta horum collocatione opificem considerent: sed quumprimum ortus est dies, sua symposia tapetibus versicoloribus & pictis aulæis ornant: curámque & diligentiam in poculorum apparatu ponunt, psycteras & crateres & phialas, tanquam in pompa quapiam & conuentu celebri, disponentes: vt vasorum varietas satietatem ipsis subtrahat, & poculorum mutatio longam in potando moram efficiat. Sunt præterea symposiarchi, archipincernæ, & architriclini: & ordo in re inordinata, dispositio in re indisposita excogitata est: vt, quemadmodum principibus externis dignitas ex satellitibus augetur, ita etiam ebrietati, veluti reginæ cuidam, famulitium adhibentes, probrum eius hoc circa eam immenso studio obtegant. Quinetiam coronæ, & flores, & vnguenta, & odores, & infinita quæ extrinsecus accedunt oblectamenta, maiorem istis qui in exitium tendunt, occupationem afferunt. Deinde, quum longè processit potatio, certamina sunt de plus bibendo, contentiones & altercationes: quum alij alios ebrietate superare ambitiosè conentur. Certaminis autem arbiter & moderator est diabolus: & præmium victoriæ, peccatum. Qui enim plus meraci hauserit, is aduersus alios præmia consequitur. Reuera gloria in illorum est ignominia. Siquidem inter se contendunt, sed seipsos vlciscuntur. Quæ oratio

ἐφικέσθαι τῆς αἰσχρότητος τῶν γινομένων δύναται; πάντα ἀλογίας γέμει, πάντα συγχύσεως. οἱ ἡττηθέντες μεθύουσιν, οἱ νικῶντες μεθύουσιν. οἱ ὑπηρέται καταγελῶσιν. ἡ χεὶρ ἀπείρηκε, τὸ στόμα οὐχ ὑποδέχεται, ἡ γαστὴρ διαρρήγνυται· καὶ τὸ κακὸν οὐχ ὑφίησι. τὸ ἄθλιον σῶμα τοῦ φυσικοῦ τόνου παραλυθέν, ἀπόρρυτόν ἐστι πανταχόθεν, τὴν ἐκ τῆς ἀμετρίας βίαν μὴ ὑπομένον. ἐλεεινὸν θέαμα Χριστιανῶν ὀφθαλμοῖς, ἀνὴρ ἀκμάζων καθ' ἡλικίαν, σφριγῶν τῷ σώματι, στρατιωτικοῖς καταλόγοις ἐμπρέπων, φοράδην οἴκαδε κομιζόμενος, μὴ δυνάμενος ὀρθοῦσθαι, μηδὲ τοῖς ἰδίοις ποσὶν ἀπιέναι. ἀνὴρ φοβερὸς εἶναι ὀφείλων τοῖς πολεμίοις, γέλωτος ἐστὶν ἀφορμὴ τοῖς κατ' ἀγορὰν παιδίοις. οὐδὲ σιδήρου καταβέβληται, οὐδὲ πολεμίων πεφόνευται. ἀνὴρ ὁπλίτης, αὐτὸ τῆς ἡλικίας ἄγων τὸ ἄνθος, οἴνου γέγονε παρανάλωμα, ἕτοιμος παθεῖν τοῖς ἐχθροῖς ὅσα βούλονται. μέθη, λογισμῶν ὄλεθρος, ἰσχύος διαφθορά, γῆρας ἄωρον, ὀλιγοχρόνιος θάνατος. τί γὰρ ἄλλο εἰσὶν οἱ μεθύοντες, ἢ τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν; ὀφθαλμοὺς ἔχουσι, καὶ οὐ βλέπουσι· ὦτα ἔχουσι, καὶ οὐκ ἀκούουσι. χεῖρες παραλέλυνται, οἱ πόδες ἀπενεκρώθησαν. τίς ὁ ταῦτα ἐπιβουλεύσας; τίς ὁ τῶν κακῶν τούτων αἴτιος; τίς ὁ τὸ τῆς μανίας ἡμῖν φάρμακον ἐγκεράσας; ἄνθρωπε παράταξιν ἐποίησας τὸ συμπόσιον. ἐκβάλλεις τοὺς νεανίσκους χειραγωγουμένους, ὡς τραυματίας ἀπὸ πολέμου. ἐνέκρωσας τὴν ἀκμὴν τῆς νεότητος ἀπὸ οἴνου.

turpitudinem eorũ quæ ab illis fiũt assequi potest? Omnia inconsiderantia plena sunt, omnia confusione. Victi, sunt temulenti, & qui vicerunt, sunt itidem temulenti. Ministri irrident. manus deficiunt vires, os non recipit, vẽter disrumpitur: & malum remißius non fit. Miserum corpus, naturali vigore dissoluto, undecunq; defluit, illam ex immodico potu violentiam non sustinens. Miserabile spectaculum Christianorum oculis, vir ætate vegeta, bene habito corpore, inter militares ordines conspicuus, qui domum asportatur, quũ se erigere nõ poßit, nec pedibus suis ingredi. Vir qui formidabilis esse debet hostib⁹, risus est materia pueris qui sunt in foro. Absq; ferro prostratus est, sine hostibus est interfectus. Vir arma gestare solitus, ætate florẽs, nullo negotio factus est præda vini: expositus omnibus hostiũ iniuriis. Ebrietas, intellectus corruptela, viriũ pernicies, senectus præmatura, momẽtanea mors. Quid enim aliud sunt temulẽti, quàm gentiũ idôla? Oculos habent, nec tamen vidẽt: aures habent, nec tamen audiunt. Manus paralysi cõstrictæ sunt, pedes emortuis similes sunt redditi. Quis has insidias struxit? quis horum malorum est autor? quis insaniæ nobis pharmacum fudit? Tu, bone vir, tuam compotationem aciei similem reddidisti. Expellis inde iuuenes, qui manu ducuntur, tanquam saucios è prælio. Emortuum reddidisti vigorem iuuẽtutis præ vino.

καὶ καλεῖς μὲν ὡς φίλον ἐπὶ τὸ δεῖπνον, ἐκβάλλεις δὲ νεκρὸν, οἴνῳ τὴν ζωὴν αὐτοῦ κατασβέσας. ὅταν δὲ νομισθῶσι διακορεῖς εἶναι τοῦ οἴνου, τότε τοῦ πίνειν ἄρχονται· καὶ πίνουσι τὸν τῶν κτηνῶν τρόπον, ὡς ἀπὸ κρήνης αὐτοσχεδίου, ἰσαρίθμοις τοῖς ἀνακειμένοις τοὺς κρουνοὺς ἀφιείσης. προϊόντος γὰρ ἤδη τοῦ πότου, ἐπεισέρχεταί τις αὐτοῖς νεανίας, γυναικὸς τοὺς ὤμους, οὔπω μεθύων· φιάλην φέρων εὖ μεγέθη οἴνου κατεψυγμένου. ὃς τὸν οἰνοχόον αὐτῶν παρωσάμενος, καὶ στὰς εἰς τὸ μέσον, διὰ σκολιῶν σωλήνων ἴσην τοῖς συμπόταις διανέμει τὴν μέθην. καινὸν τοῦτο τῆς ἀμετρίας τὸ μέτρον· ἵνα κατ' ἰσομοιρίαν ἀλλήλοις συνασελγαίνωσι, μηδένα ὑπερβάλλειν ἐν τῷ πίνειν τὸν ἕτερον. διελόμενοι γὰρ τὰς ὑδρορρόας, καὶ τὴν πρὸς ἑαυτὸν ἕκαστος τετραμμένην ὑποδεξάμενοι, ὥσπερ ἀπό τινος δεξαμενῆς ἀπνευστὶ πίνουσιν, ὡς οἱ βόες· τοσοῦτον ὑφέλκειν ἐπειγόμενοι τοῖς λαιμοῖς, ὅσον αὐτοῖς ὁ ψυκτὴρ διὰ τῶν ἀργυρέων ὀχετῶν ἐπαφίησι. κατάκυψόν σου πρὸς τὴν ἀθλίαν γαστέρα· κατάμαθε τοῦ ὑποδεχομένου ἀγγείου τὸ μέγεθος, ὅτι μιᾶς κοτύλης ἔχει κοιλότητα. μὴ πρὸς τὴν οἰνοχόην ἀφόρα, πότε κενώσῃς, ἀλλὰ πρὸς τὴν σεαυτοῦ κοιλίαν, ὅτι πάλαι πεπλήρωται. διὰ τοῦτο, Οὐαὶ οἱ ἐγειρόμενοι τὸ πρωΐ, καὶ τὸ σίκερα διώκοντες· οἱ μένοντες τὸ ὀψὲ, καὶ διημερεύοντες ἐν τῇ μέθῃ, ὡς μηδένα καιρὸν ἑαυτοῖς παρέχειν εἰς τὸ τὰ ἔργα Κυρίου ἐμβλέπειν, καὶ τὰ ἔργα τῶν χειρῶν αὐτοῦ κατανοεῖν. ὁ γὰρ οἶνος αὐτοὺς συγκαίει.

& vocas quidē velut amicū ad cœnam, eÿcis autem mortuū, postquam vino vitā eius extinxisti. Quū autem putantur vino satiati esse, tūc potare incipiunt: & quidē potant quadrupedū more, tāquā è fonte quodā extēporaneo, qui scatebras discumbentibus numero pares emittat. Iā enim procedēte potatione, superuenit illis iuuenis quispiā, validis humeris, nondū ebrius, phialā prægrandē vini refrigerati portās. Is vbi pincernā illorū submouit, stans in medio, per tortuosas fistulas æqualiter ebrietatē cōpotatoribus distribuit. Noua hæc est mēsura in re quæ mēsura caret, vt æquali inter se intēperantia vtātur, vnū ab altero plus bibēdo nō superari. Vbi enim inter se partiti sunt canales illos, & quisq; sumpsit eum qui in se obuersus est, tanquā è quadam cisterna, bibunt sine interspiratione, sicut boues: tantum gutturibus attrahere festinantes quantum ipsis psycter per argenteos tubulos emittit. Oculos in miserū tuum ventrem demitte: animaduerte receptaculi magnitudinem, cui cauitas est quæ vni tantùm cotylæ sufficiat. nō ad amphoram respice, quādo eam sis vacuaturus, sed ad tuum ventrem, qui iamdudum plenus est. Propterea, Væ qui surgunt mane, & sicera sectantur: qui expectant vesperam, & totum diem in ebrietate terunt: ita vt nullum tempus sibi concedant ad intuenda Domini opera, & ad considerandã opera manuum eius. Vinum enim illos

συγκαύσει. διότι τὸ ἐκ τοῦ οἴνου θερμὸν, ἐγγινόμενον τῇ σαρκὶ, ἔξαμμα γίνεται τῶν πεπυρωμένων βελῶν τοῦ ἐχθροῦ. τὸν μὲν γὰρ λογισμὸν καὶ τὸν νοῦν ὁ οἶνος καταβαπτίζει, τὰ δὲ πάθη καὶ τὰς ἡδονὰς, ὥσπερ τι σμῆνος μελισσῶν, ἐπεγείρει. ποῖον γὰρ ἅρμα πώλων οὕτως ἀτάκτως φέρεται, ἀποβαλὸν τὸν ἡνίοχον; ποῖον δὲ πλοῖον ἀκυβέρνητον, ὑπὸ τῶν κυμάτων ὡς ἂν τύχῃ φερόμενον, οὐκ ἀσφαλέστερον ἐστὶ τοῦ μεθύοντος; ἀπὸ τοιούτων κακῶν, ἄνδρες ὁμοῦ καὶ γυναῖκες, κοινοὺς συστησάμενοι χοροὺς, δαίμονι οἰνηρῷ τὰς ψυχὰς παραδόντες, ἀλλήλους τοῖς ἀκίσι τῶν παθῶν ἀντετίτρωσκον. γέλωτες, &c.

comburet. Quoniam vini calor ſubiens carnem, accendit ignita tela aduerſarij. Intellectũ enim & mentem vinum ſubmergit, at verò turbidos animi motus & libidines, tanquã aliquod apum examen, excitat. Quis enim currus equorum ita præceps fertur, vbi aurigam amiſit? Quod nauigium gubernatore deſtitutum, & quod temere à fluctibus impellitur, nõ eſt tutius temulento? Ex talibus malis, viri ſimul & mulieres quum choreas communes agitare cæpiſſent, traditis vinoſo dæmoni animabus, ſeſe inuicẽ mucronibus affectuum libidinoſorum compungebant. Riſus, &c.

ΤΗ͂Σ ΛΟΥΚΙΑΝΙΚΗ͂Σ ἈΚΑ-
δημίας λόγοι δύο, ὁ μὲν, ὑπὲρ τῆς
μέθης, ὁ δὲ, κατὰ τῆς μέθης.

Ὁ ΥΠΕ῾Ρ ΤΗ͂Σ ΜΕ΄ΘΗΣ ΛΟ΄ΓΟΣ.

ἈΚΟΥΕΤΕ ὦ ἄνδρες δικασταὶ πρότερον τὰ ὑπὲρ τῆς μέθης. ἐκείνης γὰρ τό γε νῦν ῥέον. ἠδίκηται δὲ ἡ ἀθλία τὰ μέγιστα ὑπὸ τῆς Ἀκαδημίας ἐμοῦ, ἀνδράποδον ὃ μόνον εἶχεν εὔνουν, καὶ πιστὸν αὐτῇ, μηδὲν αἰσχρὸν ὧν προσταχθεὶν οἰόμενον, ἀφαιρεθεῖσα, τὸν Πολέμωνα ἐκεῖνον. ὃς μεθ᾽ ἡμέραν ἐκώμαζε διὰ τῆς ἀγορᾶς μέσης, ψάλτριαν ἔχων, καὶ καταδόμενος· ἕωθεν εἰς ἑσπέραν μεθύων ἀεὶ, καὶ κραιπαλῶν, καὶ τὴν κεφαλὴν τοῖς στεφάνοις διηνθισμένος. καὶ ταῦτα ὅτι ἀληθῆ, μάρτυρες Ἀθηναῖοι ἅπαντες, οἳ μηδεπώποτε νήφοντα Πολέμωνα εἶδον. ἐπεὶ δὲ ὁ κακοδαίμων ἐπὶ τὰς τῆς Ἀκαδημίας θύρας ἐκώμασεν, ὥσπερ ἐπὶ πάντας εἰώθει, ἀνδραποδισαμένη αὐτὸν, καὶ ἀπὸ τῆς χειρὸς τῆς μέθης ἁρπάσασα μετὰ βίας, καὶ πρὸς αὐτὴν ἀγαγοῦσα, ὑδροποτεῖν τε κατηνάγκασε, καὶ νήφειν μετεδίδαξε, καὶ τοὺς στεφάνους περιέσπασε. καὶ δέον πίνειν κατακείμενον, ῥημάτια σκολιὰ καὶ δύστηνα, καὶ πολλῆς φροντίδος ἀνάμεστα ἐπαίδευσεν. ὥστε ἀντὶ τοῦ τέως ἐπανθοῦντος αὐτῷ ἐρυθήματος, ὠχρὸς, ἄθλιος, καὶ ῥικνὸς τὸ σῶμα γεγένηται· καὶ τὰς

LVCIANICAE ACADEMIAE Orationes duæ: vna, pro Ebrietate, cui ereptus fuerat Polemo: altera contra Ebrietatem.

AVDITE prius iudices quæ pro Ebrietate dicũtur. illius enim eſt quæ nũc fluit aqua. Maximã miſera hæc iniuriã à me Academia accepit, quæ mãcipio ſpoliata ſit quod ſolũ beneuolũ & fidele ſibi habebat, cuiq; nihil eorũ quæ ipſa imperaſſet, turpe videbatur: nimirũ Polemone illo, qui interdiu comeſſabundus per mediũ forũ trãſibat, pſaltriã habẽs, cuius cãtu aures ei perſonabãt: à mane ad veſperã ſemper ebri⁹ & crapulæ plenus, atq; caput corollis & florib⁹ redimitus. Ac vera hæc eſſe, teſtes ſunt Atheniẽſes oẽs: q nunquã ſobriũ Polemonẽ viderũt. At poſtquã miſer ad Academiæ fores comeſſabundus venit, ſicut ad omnes vẽtitare ſolebat, illũ mãcipatũ et è manibus Ebrietatis vi ereptũ, atq; ad ſe adductũ, aquã potare coegit, & contrà quàm illa, ſobrium eſſe docuit: quinetiã corollas detraxit. Et quũ illi diſcumbẽti bibendũ eſſet, tunc eum voculas quaſdã perplexas & miſeras, ac multæ ſollicitudinis refertas edocuit. Adeo vt pro eo qui antea illi efflorescebat rubore, pallidus, miſer, & rugoſus corpore factus ſit: & canti-

ᾠδὰς ἁπάσας ἀπομαθὼν, ἄσιτος ἐνίοτε καὶ δι-
ψαλέος εἰς μέσην ἑσπέραν κάθηται, ληρῶν ὁποῖα
πολλὰ ἡ Ἀκαδημία ἐγὼ ληρεῖν διδάσκω. τὸ δὲ μέ-
γιστον, ὅτι καὶ λοιδορεῖται τῇ μέθῃ, πρὸς ἐμοῦ ἐπαρ-
θεὶς, καὶ μυρία κακὰ διέξεισι περὶ αὐτῆς. εἴρηται
σχεδὸν τὰ ὑπὲρ τῆς μέθης· ἤδη καὶ ὑπὲρ ἐμαυτῆς
ἐρῶ. καὶ τὸ ἀπὸ τούτου ἐμοὶ ῥευσάτω.

Ὁ ΚΑΤᾺ ΤΗ͂Σ ΜΕΘΗΣ ΛΌΓΟΣ.

ΟὟΤΩΣΙ μὲν ἀκοῦσαι, πάνυ εὔλογα, ὦ ἄν-
δρες δικασταὶ, ἡ συνήγορος εἴρηκεν ὑπὲρ τῆς μέθης.
εἰ δὲ κἀμοῦ μετ' εὐνοίας ἀκούσετε, εἴσεσθε ὡς οὐ-
δὲν αὐτὴν ἠδίκηκα. τὸν γὰρ Πολέμωνα τοῦτον, ὅν
φησιν ἑαυτῆς οἰκέτην εἶναι, πεφυκότα οὐ φαύλως,
οὐδὲ κατὰ τὴν μέθην, ἀλλ' οἰκεῖον ἐμοὶ, καὶ τὴν φύσιν
ὅμοιον, παραρπάσασα νέον ἔτι καὶ ἁπαλὸν ὄντα,
συναγωνιζομένης τῆς ἡδονῆς (ἥπερ αὐτῇ τὰ πολ-
λὰ ξυνυπουργεῖ) διέφθειρεν ἄθλιον, τοῖς κώμοις
καὶ ταῖς ἑταίραις παρασχοῦσα ἔκδοτον, ὡς μηδὲ
μικρὸν αὐτῷ τῆς αἰδοῦς ὑπολείπεσθαι. καὶ ἅγε
ὑπὲρ ἑαυτῆς λέγεσθαι μικρὸν ἔμπροσθεν ᾤετο,
ὑπὲρ ἐμοῦ εἰρῆσθαι νομίσατε. περιῄει γὰρ ἕωθεν ὁ
ἄθλιος ἐστεφανωμένος, κραιπαλῶν, διὰ τῆς
ἀγορᾶς μέσης, καταυλούμενος, οὐδέ ποτε νήφων,

lenis omnibus obliuioni traditis, interdū ieiunus & sitibundus ad mediā vsq. vesperā desidet, nugans multa eiusmodi qualia ego Academia nugari doceo. Quod autē omniū maximū est, etiā conuitiatur Ebrietati, à me instigatus, & innumera mala de illa commemorat. Dicta sunt fere quæ pro Ebrietatę faciūt. Iā & pro me dicam: & quæ deinceps fluet aqua, mihi fluat.

ORATIO IN EBRIETATEM.

QVAE pro Ebrietate dixit aduocata eius, ea, iudices, audiētibus, rationi valde cōsentanea prima fronte videri poßint. Verùm si me quoq. beneuolè audiatis, nulla eam iniuria affecisse cōperietis. Hunc enim Polemonē, quem seruū suū esse dicit, nō illiberali indole, nec quæ Ebrietati cōueniret, præditū, sed mihi neceßitudine iunctū: & natura similē, quū in iuuētute & teneris annis præripuisset, adiuuante voluptate (quæ in plerisq. operā ipsi nauat) corrupit miserū, comessationū & meretricū potestati eū permittēs, ita vt ne minimū quidē pudoris ei superesset. Atq. illa quæ ꝑ se paulo ante dici arbitrabatur, pro me dicta esse putate. Discursabat enim miser ille iā à matutino tēpore, coronatus, crapula plenus, per mediū forū, ad tibiarum sonū: nunquā sobrius.

κωμάζων ἐπὶ πάντας. ὕβρις τῶν προγόνων, καὶ τῆς
πόλεως ὅλης, καὶ γέλως τοῖς ξένοις. ἐπεὶ μέντοι παρ'
ἐμὲ ἧκεν, ἐγὼ μὲν ἔτυχον (ὥσπερ εἰώθειν ποιεῖν) ἀ-
ναπεπταμένων τῶν θυρῶν, πρὸς τοὺς παρόντας τῶν
ἑταίρων, λόγους τινὰς περὶ ἀρετῆς καὶ σωφροσύνης
διεξιοῦσα· ὁ δὲ, μετὰ τοῦ αὐλοῦ καὶ τῶν στεφάνων ἐπιστὰς,
τὰ μὲν πρῶτα ἐβόα, καὶ συγχεῖν ἡμῶν ἐπειρᾶτο τὴν
συνουσίαν, ἐπιταράξας τῇ βοῇ. ἐπεὶ δὲ οὐδὲν ἡμεῖς
ἐπεφροντίκειμεν αὐτοῦ, κατ' ὀλίγον (οὐ γὰρ τέλεον ἦν
διάβροχος τῇ μέθῃ) ἀνένηφε πρὸς τοὺς λόγους, καὶ
ἀφήρει τε τοὺς στεφάνους, καὶ τὴν αὐλητρίδα κατεσιώ-
πα, καὶ ἐπὶ τῇ πορφυρίδι ᾐσχύνετο. καὶ ὥσπερ ἐξ
ὕπνου βαθέος ἀνεγειρόμενος, ἑαυτόν τε ἑώρα ὅπως
διέκειτο, καὶ τοῦ πάλαι βίου κατεγίνωσκε. καὶ τὸ μὲν
ἐρύθημα τὸ ἐκ τῆς μέθης, ἀπήνθει καὶ ἠφανίζετο,
ἠρυθρία δὲ κατ' αἰδῶ τῶν δρωμένων. καὶ τέλος ἀπο-
δρὰς, ὥσπερ εἶχεν, ηὐτομόλησε παρ' ἐμὲ, οὔτε ἐπι-
καλεσαμένης, οὔτε βιασαμένης (ὡς αὐτή φησιν) ἐ-
μοῦ, ἀλλ' ἑκὼν, αὐτὸς ἀμείνω ταῦτα εἶναι ὑπολαμ-
βάνων. καί μοι ἤδη κάλει αὐτὸν, ὅπως καταμάθητε
ὅντινα διάκειται πρὸς ἐμοῦ. τοῦτον, ὦ ἄνδρες δικα-
σταὶ, παραλαβοῦσα γελοίως ἔχοντα, καὶ μήτε φωνὴν
ἀφιέναι, μήτε ἑστάναι ὑπὸ τοῦ ἀκράτου δυνάμενον,
ὑπέστρεψα, καὶ ἀνένηψα, καὶ ἀντὶ ἀνδραπόδου, κόσμιον
ἄνδρα καὶ σώφρονα, καὶ πολλοῦ ἄξιον τοῖς Ἕλλησιν
ἀπέδειξα. καί μοι αὐτός τε χάριν οἶδεν ἐπὶ τούτοις,
καὶ οἱ προσήκοντες ὑπὲρ αὐτοῦ. εἴρηκα. ὑμεῖς δὲ ἤδη
σκοπεῖτε πότερα ἡμῶν ἄμεινον ἦν αὐτῷ συνεῖναι.

omnes comessabūdè incesſēs: cōtumelia maiorū, totiúsq; ciuitatis, peregrinis autē risus. Quū autē ad me venisset, ego qdē (vt facere solita sum) apertis forib⁹ ad eos qui aderāt ex amicis, verba quædā de virtute & tēperātia habebā: at hic cū tibiis & coronis superueniēs, primùm quidē clamabat, & colloquiū nostrū interrūpere conabatur, clamore interturbās. Quū verò nihili fecissem⁹ illū, paulatim (neq; enim omnino ebrietate pfusus erat) ad verba mea mentē hominis sobrij recuperabat, & coronas detrahebat, necnō tibicinæ silētiū imponebat: quinetiā ob purpurā erubescebat. Neq; aliter q̄ si ex pfundo somno expergefieret, & suū habitū intuebatur, & pristinā vitā dānabat. Atq; ille quidē ex ebrietate rubor deflorescebat & euanescebat: pudore autē eorū quæ à se fierēt erubescebat. Postremò, aufugiens e vestigio, ad me trāsiit, quū ego illū nec inuitassem, nec coegissē, vt illa de me dicit: sed sua ipse sponte, qp meliora hæc nostra esse putaret. Ac mihi ipsum iā euoca: vt cognoscatis qualis nunc à me sit redditus. Hunc, iudices, quū recepissem talē vt ridiculus esset, & neq; vocem emittere neq; stare præ mero posset, cōuerti, & ad sobrietatē reduxi, atq; pro mācipio virū moderatum & tēperantem & magni pretij Græcis effeci. Ac tū ipse tum eius propinqui pro ipso gratiā illius rei nomine mihi habēt. Dixi. Vos autē iā considerate vtrius nostrum cōsuetudo illi sit vtilior.

EBRIOSI HOMINIS HAbitus, suis coloribus depictus à LYCONE oratore Græco.

QVID in hoc arbitrer bonæ spei reliquum residere, qui omne vitæ tẽpus vna ac desperatißima consuetudine produxit? Nam simulatq; ex primis horis diei, nimia cibi ac vini satietate, vix meridiano tẽpore, plenus crapula est experrectus: primũ oculis mero madidis, humore obcæcatis, visu grauidis, lucẽ constanter intueri non potest: deinde cõfectis viribus, vtpote cuius venæ nõ sanguine sed vino sunt repletæ, se ipse erigere non valet: tandẽ duobus innixus, languidus, qui cubãdo sit defatigatus, tunicatus, sine pallio, soleatus, præ lectulo, palliolo frigus à capite defendẽs, flexa ceruice, summißis genibus, colore exangui, protinus ex cubiculari lectulo excitatus, in tricliniũ trahitur. Ibi præsto sunt quotidiani pauci eodem studio excitati cõuiuæ. hic verò princeps paulum illud reliquum quod habet mentis ac sensus, poculis extrudere festinat: & eos bibendo prouocat & laceßit, perinde acsi in hostium prælio quamplurimos superarit, atque afflixerit, amplißimam sibi victoriã paratam existimans. Interea procedit simul & il-

lud tempus & potatio: oculi vinum lacrymantes caligant. Ebriosum ipsi vix ebrij cognoscũt: alius sine causa iurgio proximum lacessit: alius somno deditus, vi cogitur vigilare: alius rixari parat: alium turbas vitantem, ac domũ reuerti cupiẽtem, retinet ianitor: pulsat, exire prohibet domũ, interdictum demonstrãs. Interim alium contumeliosè extra ianuam eiectũ, vacillãtem puer sustentat, ac ducit, pallium per lutum trahentem. Nouissimè solus in triclinio relictus, nõ prius poculũ ex manibus emittit, quàm somnus oppressit bibentem, ac dissolutis artubus, ipsum poculum suapte natura dormienti excidit.

EBRIETATIS ACCVSATIO,
Ex Seneca, Epist. prima libri XII.

QVANTO satius est apertè accusare ebrietatẽ, & vitia eius exponere: quæ etiam tolerabilis homo vitauerit, nedũ perfectus ac sapiẽs, cui satis est sitim extinguere, qui etiã, siquãdo orta est hilaritas, aliena cœna producta longius, tamen citra ebrietatem resistit. Nam de illo videbimus, an sapiẽtis animus nimio vino turbetur, & faciat ebriis solita. Interim si hoc colligere vis, virũ bonum non debere ebrium fieri, cur syllogismis agis? dic quàm turpe sit plus sibi ingerere quàm capiat, & stomachi sui non nosse mensurã: quàm multa ebrij faciãt, quibus sobrij erubescant. Nihil aliud esse ebrietatẽ, quàm voluntariã insaniã. Extende in plures dies illum ebrium habitum, nunquid de furore dubitabis? Nunc quoq; non est minor, sed breuior. Refer Alexandri Macedonis exemplũ, qui Clitum charissimũ ac sibi fidelissimum inter epulas trãsfodit: & intellecto facinore, mori voluit, certè debuit. Omne vitiũ ebrietas & incendit, & detegit: obstantẽ malis conatibus verecundiã remouet. Plures enim pudore peccãdi quàm bona

voluntaté, prohibitis abſtinēt. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Non facit ebrietas vitia, ſed protrahit. tunc libidinoſus ne cubiculū quidem expectat, ſed cupiditatibus ſuis, quantū petierint, ſine dilatione permittit: tunc impudicus morbū profitetur ac publicat: tunc petulans non linguā, non manum cōtinet. Creſcit inſolenti ſuperbia, crudelitas ſæuo, malignitas liuido. ōmne vitiū detegitur & prodit. Adijce illam ignorationē ſui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine circumagēte totam domum: ſtomachi tormenta, quū efferueſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit. Tunc tamen vtcūque tolerabile eſt, dum illi vis ſua eſt: quid quū ſomno vitiatur, & quæ ebrietas fuit, cruditas facta eſt? Cogita quas clades ediderit publica ebrietas. Hæc acerrimas gentes bellicoſáſque hoſtibus tradidit: hæc multorum annorum pertinaci bello defenſa mœnia patefecit: hæc contumaciſsimos & iugum recuſantes in alienum egit arbitrium: hæc inuictas acies mero domuit. Alexandrum, cuius modò feci mentionem, tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas victa temporum locorúmque difficultate tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiſerunt: intemperantia

bibendi & ille Herculaneus ac fatalis ſcyphus cōdidit. Quæ gloria eſt capere multum? Quum penes te palma fuerit, & propinationes tuas ſtrati ſomno ac vomitātes recuſauerint, quū ſuperſtes toti conuiuio fueris, quum omnes viceris virtute magnifica, ac nemo tā vini capax fuerit: vinceris à dolio. Marcum Antonium, magnum virum & ingenij nobilis, quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia nō Romana traiecit, quàm ebrietas? Nec minor vino Cleopatræ amor. Hæc illum res hoſtem reipublicæ, hæc hoſtibus ſuis imparem reddidit: hæc crudelem fecit. quū capita principum ciuitatis cœnanti referrētur, quū inter apparatiſſimas epulas luxúſque regales ora ac manus proſcriptorum recognoſceret: quum vino grauis, ſitiret tamen ſanguinem. Intolerabile erat, quod ebrius faciebat, ſi ſobrius faceret: quanto intolerabilius quòd hæc ipſa in ebrietate faciebat? Ferè vinolentiam crudelitas ſequitur. violatur enim exaſperatúrque ſanitas mentis. Quemadmodum difficiles faciunt oculos diutini morbi etiam ad minimam radij ſolis offenſionem, ita ebrietates continuæ efferāt animos. Nam quum ſæpe apud ſe non ſint, conſuetudine inſaniæ durata vitia, vino concepta, etiam ſine illo valent. Dic ergo quare ſapiens non debeat ebrius fieri. Deformitatem rei & importunitatem oſtende, rebus non

verbis: quod facillimum est. Proba, istas quæ voluptates vocantur, vbi transcenderint modum, pœnas esse. Nam si illud argumentaberis, sapientem multo vino inebriari, & retinere rectum tenorem, etiamsi temulẽtus sit: licet colligas, nec veneno potato moriturum, nec opio sumpto dormiturum, nec elleboro accepto, quicquid in visceribus hærebit, eiecturum deiecturúmque. Sed si tentantur pedes, lingua nõ constat, quid est quare illum existimes in parte sobrium esse, in parte ebrium?

ALIA EBRIETATIS ACcusatio: Ex Plinio, Hist. nat. lib. XIIII, cap. XXII.

AC SI QVIS diligẽtiùs reputet, in nulla parte operosior vita est: ceu non saluberrimũ ad potum aquæ liquorẽ natura dederit, quo cætera omnia animantia vtuntur. At nos vinũ bibere & iumenta cogimus: tantóq; opere, tanto labore & impendio constat, quod hominis mentẽ mutet, ac furorem gignat: millibus scelerũ huic deditis tanta dulcedine, vt magna pars non aliud vitæ præmiũ intelligat. Quinimo, vt plus capiamus, sacco frangimus vires: & alia irrita-

menta excogitantur. ac bibēdi etiam causa venena conficiuntur, aliis cicutam præsumētibus, vt bibere mors cogat, aliis pumicis farinam, & quæ referendo pudet docere. Cautißimos ex his balineis coqui videmus, exaniméſque efferri. Iam verò alios lectum expectare non posse, imò verò nec tunicam: nudos ibi protinus anhelos ingentia vasa corripere, velut ad ostētationem virium, ac planè infundere, vt statim euomāt, rursúsque hauriant, ídque iterum tertiúmque: tanquam ad perdenda vina geniti: & tāquam effundi illa non poßint, nisi per humanum corpus. Huc pertinent peregrinæ exercitationes, & volutatio in cœno, ac pectorosa ceruicis repandæ ostentatio. Per omnia hæc prædicatur sitis quæri. Iam verò quæ vasa adulteriis cælata! tanquam per se parum doceat libidines temulentia. Ita vina ex libidine hauriuntur, atque etiam præmio inuitatur ebrietas. Et si dijs placet, emitur alius, vt quantum biberit tantum edat: & pretium vinolentiæ lege accipit. Alius quantum alea quæsierit tantum bibit. Tunc auidi matronam oculi licentur, graues produnt marito: tunc animi secreta proferuntur. Alij testamenta sua nuncupant: alij mortifera loquuntur, rediturásque per iugulum voces non continent: quàm multis ita interemptis. Vulgóque veritas iā attributa vino est. Interea, vt optime cedat,

cedat,

cedat, solem orientem nõ vident, ac minus diù viuunt. Hinc pallor, & genæ pendulæ, oculorum hulcera, tremulæ manus, effundentes plena vasa, & (quæ sit pœna præsens) furiales somni, & inquies nocturna: præmiúmque summum ebrietatis, libido portentosa, ac iucundum nefas. Postera die ex ore halitus fœtidi, ac ferè rerum omniũ obliuio, mórsque memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant, quum priorem diem quotidie perdant, illi verò & venientem.

HENRICVS STEPHANVS

PAVLO MELISSO

SVO S. D.

MIRABERIS, ſat ſcio, mi Meliſſe, nec miraberis ſolùm, ſed ridebis etiã (ſi bene te noui) quum te à me non in limine operis, vt mos eſt, ſed in calce compellari videbis. Quale hoc eſt hyſteron proterõ, ſiue prothyſteron? dices. Poſſem fortaſſis, hoc quoque, Homericũ eſſe reſpõdere. Sed fruſtra quicquam reſponderem, donec te profuſo riſu ſatiaſſes. Is enim verba mea aures tuas præteruolare cogeret. Equidẽ per me rideas licet: dummodo poſt riſum cogites nouas eſſe has nundinas, ideóq; aliquam illis nouitatẽ conuenire. Vetus eſt illa conſuetudo, vtendi præfatione ſeu antefatione: nunc igitur, nouo exemplo, vti poſtfatione volui, aliquãdo etiam interfatione vſurus, ſi vſus veniat. Illam enim priſtinam circa res huiuſmodi religionẽ nundinæ iſtæ mihi excuſſerunt. Quòd ſi etiã *amoto* (vt ait ille) *quæramus ſeria ludo*, inueniemus fortaſſe rationem huic meo facto conſtare. Quum enim omniũ ſermone celebretur illud vulgare verbum, quo finis dicitur opus coro-

nare, nónne honorificentior eſt in fine operis quàm in principio compellatio? Sed hac de re plura coram. Iam enim nũdinari incipias velim, quanuis alioqui non ſolitus eſſe nundinator. Velim, inquam, ad meam nundinalem Muſam totum te conuertas, nec illam prius quàm te ſuis mercibus onerauerit, à te abire patiaris. Papæ (exclamabis) quàm diuerſas merces affert. Sed illa tibi reſpondebit; vt diuerſa ſunt mercatorum genera, ita etiam diuerſis mercibus nundinas inſtructas eſſe debere. Quid enim? eáſne tantùm probabis quæ tuis ſimiles ſint? Nam merces Poſthimeliſſæas libet itidem vocare, quæ tu & Poſthius ſuperioribus nundinis Francofordiam miſiſtis epigrammata, quibus ebrietati bellum denũtiabatis: vel potius, quibus bellum iampridem denuntiatũ inferebatis. Mea igitur, quæ ad veſtrum hoc Poſthimeliſſæum bellum ſubſidiaria veniunt, quin benigno vultu excepturus ſit vterq; veſtrũ, minimè dubito: verùm meæ laudationi Baccharæ neſcio quid caperatæ frontis timeo. Quid enim hoc ſibi vult (dicetis) eum laudationem Baccharæ ſcribere qui collegio noſtro nomen dederit? qui methyſomiſiam ſcripſerit? Fortaſſis etiã me ſellis duabus velle ſedere, me vtraſque partes velle ſequi dicetis: tandémque eò deuenietis vt mihi

parum fidei, tanquam transfugæ, vel ἀλλοπρόσαλλον (vt Homerica voce vtar) habendum esse existimetis. Imò verò si illam Baccharæ laudationem perlegatis, aliũ me planè, quàm titulus promittere videatur, esse cognoscetis. Sed nimirum ludendum etiam fuit aliquid, quod me ebrietati, non item Baccho, bellum indixisse testaretur: eáq; vtendũ arte, vt lectores quos huiusmodi lusu allexissẽ, in meæ etiã methysomisiæ lectione retinerẽ. Quàm multi enim sunt qui Catonianis censuris ex aliorũ quàm ipsorũmet Catonum ore proficiscentibus, solam seueritatem & profitentium & tãtum non spirantium, aures patefacere malint? Adde quòd aliqua ex parte talis, qualem à me describi vides, post vini Baccharẽsis haustum, contigerat metamorphωsis: quum ex conuectoribus quidam vini præstantissimi amphora, sibi dono data Baccharæ, totum cœtũ participare voluisset. Iam verò, quòd de paruis Posthianæ cœnæ scyphis conqueror, siticulosos appellans, ne id quidem eiusmodi est ob quod in suspicionem venire apud vos debeã. Siquidem, vt iam seriò loquar (quid enim seria his iocis immiscere vetat?) paruos calices inter ebrietatis adminicula vel potius fomites ponendos esse dixerim. Ac quum multi apud vos meæ sobrietati sint insidiati, nullas peri-

culosiores sensi quàm ab illis scyphulis insidias: præsertim æstiuo tempore. Aliquando certè hac vsus arte quidam vestras, quum me, qui siti enectus ad cœnam veneram, vino deponere conaretur, propemodum voti cõpos euasit: parúmque abfuit quin de me caneret,

Decidit in casses præda petita meos.

Quo debes minus mirari si tantũ aduersus illos cyathulos siue cyathiscos odiũ cõcepi. Profectò de potu qui ex illis sumitur, dici possit, interdũ quidẽ quod de aqua salsa dixit Naso,

Qui potus dubium est sistat alátne sitim:

interdum verò,

Iste sitim, quam vis sistere, potus alit.

Scio Græcorum eundem fuisse olim morem, vt pocillis primùm vterentur, seu minutis & rorantibus poculis, vt Cicero vocat: deinde poscerent maioribus. sed hoc pro me facit: quum eorum ebrietas sit etiã verbis Græcari & Pergræcari celebrata. Verùm quid pluribus opꝰ est? Meũ illud poematiũ si legeris, & rationes quibus nitor expẽderis, scio te nõ solùm in meã sententiã pedibus manibúsq; iturũ, sed etiã carmina carminibus additurũ, quibus tandem efficias vt illi siticulosi scyphuli perpetuo exilio damnẽtur. Superest mi Melisse, vt mea carmina non ipse solùm excusata habeas, sed etiam apud alios eorũ sis excusator. Scis enim

ea me in itinere ſcribere conſueuiſſe: quod tu ex eo ſtephanizare appellare ſoles. Ideóque vt dixit Naſo de ſuis (cum quibus alioqui abſit vt mea conferre velim)

Excuſata ſuo tempore lector habe:

dicere mihi de meis liceat,

Excuſata loco lector habere decet.

Equitans certè penè omnia aut nauigãs fudi, ad fallendum viæ tædium. Nam laudationis Baccharæ cõſcius mihi eſt Rhenus:& forſitan, ſi, vbi ſcripta ſunt, ibi legantur, magis placere poſſint. Quod etiam his verſibus declaraui, quos tu(vt idẽ Naſo de ſuis dicebat) *-in prima fronte libelli Si præponendos eſſe putabis, habe.*

Nauigio nuper dum Rheni ſulco fluenta,
Pauca hæc dictabat carmina Muſa mihi.
Si genius lectis tellure videtur abeſſe,
In Rheno hos relegens forſan adeſſe putes.

Cæteris autem hos præponere poteris,

Hoc cecinit carmen mea me comitata Camœna,
Dum mihi tardigradi terga premũtur equi.
Non placet id pediti?poterit fortaſſe placere,
Si, quod eques ſcripſi, legerit illud eques.

At domũ reuerſus illa poteras recognoſcere, dicet quiſpiã. Tu certè hoc non dices, qui ſæpe vidiſti quot occupationibus, vel potius quot generibus occupationũ domi obruar:adeo vt ſæpe miratus ſis quomodo huic oneri par eſſe

possem. Tantũ verò abest vt melius nũc mecum hac in parte agatur, vt contrà multo sit mea conditio facta deterior. Ad eas enim lites quibus me implicitũ vidisti, accessit quædam magni momenti, ob quam subinde non animo solùm sed corpore etiam peregrinari cogor. Possem quidẽ omnibus litibus valedicere, quũ vbique sim petitor: sed quomodo non petẽti darentur quæ etiã petenti, & quidẽ iure, denegantur? Hæc, vt spero, faciẽt vt meas dormitationes excusatas habeas. Quandam certè alicubi latere scio, quæ quũ aliquãdo fortefortuna in meos oculos incurrisset, nunc eosdem quęrentes subterfugit. Vt autẽ intelligas quãto tibi vicissim gratificãdi studio tenear, mitto ad te peculiariter epigrãma eiusdem cum nostris nundinalibus argumẽti: sed quod vel nouem sorores, tanquã se dignissimum κειμήλιον, sint in aureis scriniis reposituræ: ab eo profectum quem scis inter omnes seculi nostri poetas illis esse charissimum.

Belidas en fingunt pertusa in dolia vates
Mox effundendas fundere semper aquas.
Nomine mutato narratur fabula de te,
Ebrie, quæ meias qui sine fine bibis.
Hoc tibi quinetiam quadrat turba ebria: ꝙ sint,
Corpora quæ fuerant, dolia facta tibi.

Vale mi Melisse.